ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI THEOPHAN. PROKOPOWICZ

MISCELLANEA SACRA,

VARIIS TEMPORIBVS EDITA,

NVNC PRIMVM IN VNVM COLLECTA

PVBLICOQVE EXHIBITA.

ACCESSERVNT

EIVSDEM POEMATA QVAEDAM,

QVIBVS ADIVNCTA SVNT,

I. ELEGIA ILLVSTRISSIMI METROPOLITAE RIAZANENSIS IAWORSKII IAM IAM MORITVRI SVPRA BIBLIOTHECAM SVAM.

II. MICHAELIS MALARDI ETIAM POEMATA NON NVLLA.

ET

III. KRESLINGII EPISTOLA AD ILLVSTRISSIMVM AC REVERENDISSIMVM RAPHAELEM ARCHIEPISCOPVM METROPOLITAM KIIOVIENSEM.

WRATISLAVIAE, 1744.

CVRA IOHANNIS IACOBI KORNII

BIBLIOPOLAE.

Præfatio Bibliopolæ.

Quandoquidem non ita pridem, Anno nimirum 1743. opportunitas mihi egregie affulsit atque fauit, Illustrissimi Reverendissimi atque in Ciuitate sacra ac erudita celebratissimi Theophanis Prokopowiczii interventu atque benevolentia Honoratissimi atque Doctissimi Kijoviensis amici obtinendi, atque in usus publicos eorum, qui apud nos hisce Deliciis rectum & legitimum statuere norunt pretium, emittendi: omnino etiam atque etiam me operæ fecisse & tulisse pretium gaudeo, atque declarata haud obscuris testimoniis doctorum hominum approbatione, qua hocce scriptum persecuti sunt; me exstimulatum non inficior, ad alias Summi hujus Viri lucubrationes diligenter exquirendas & feliciter impetrandas. Specimen certe luculentum esse debet, ad minimum potest, subjunctum, quod benevolo Lectori offero, & exhibeo scriptum; quod Eruditis, ut ante edita, non ingratum fore spero atque polliceor; utpote cujus Favoris benevolentiæque secunda aura sublatus nihil operæ intermittam, nullisque impensis parcam, quibus opus est ad Ingenii Monumenta obtinenda, quibus publici & celeberrimi Imperialis Academiae Kijoviensis Professores atque Doctores non sine bonarum Artium augmento, atque sui ejusque insigni Decore atque Ornamento elucubrant atque in Lucem publicam emittunt. Spes omnino est solida, fore, ut quemadmodum Russici Imperii Gloria armis & victoriis

longe lateque hac Tempestate dilatata & amplificata est, ita etiam bonarum Artium studia, earumque Doctores & Cultores sub Praesidio Augustissimæ Imperatricis, maximoque Patre Divo PETRO, *non minoris Filiæ, Incomparabilis* ELISABETHAE, *de amplissimo hocce Imperio optime promerendi multas, amplas & gloriosas habeant opportunitates. Academia certe Kijoviensis pignus & Ornamentum hujus Spei est luculentissimum, quippe quae & Professoribus ingenio, doctrina, diligentiaque celeberrimis & confluxu Iuvenum ornatissimum ex omnibus tam late patentis Imperii regionibus, quotidie magis magisque inclarescit, ut ipsa Eruditio vera & solida novum Decus, majus Incrementum & exquisitam Gloriam sibi non solum promittat atque avide præstoletur, sed etiam in Primitiis opimam Messem iam adolescere atque feliciter maturescere observet lætissime. Deum immortalem mecum omnes, quibus Doctrina liberalis curæ cordique est, supplices venerantur, ut hunc bonæ Mentis & omnis Eruditionis mercatum omnibus turbis, Calamitatibusque vacare, Doctoribusque suis atque Auditoribus optima quæque præclare docentibus atque discentibus magis magisque illustrare & splendescere clementissime iubeat. Vale & fave, B. L. meis conatibus, tibi hæc summi Ingenii, multæ Doctrinæ, atque eximiæ elegantiæ monimenta impertiendi, quos si legitimo & justo Favore complexus fueris, & provocaveris, tibi nec inutiles, nec iniucundos in posterum quoque fore experieris.*

IO. IACOB KORN.

C. & B. W.

DO-

DOCTISSIMI REVERENDISSIMI

DNI. D. THEOPHANIS PROKOPOWICZ

APOLOGIA FIDEI

IN QVA RESPONDETVR

AD LITERAS DOCTISSIMORVM QVORVNDAM LVTHERANORVM, QVAS AD PATREM MICHAELEM SCHI, MONACHVM PIECZARIENSEM, REGIOMONTO DEDERVNT, RESPONDENTES AD EIVS LITERAS COMPELLATORIAS, QVAS IPSE PRIVS AD EOS MISIT, DE VERA FIDE ORIENTALIS GRAECO RVTHENICAE APOSTOLICAE ECCLESIAE.

Cogis me Religiosissime Pater respondere pro te vel potius pro Orthodoxa Christi Ecclesia, ad quorundam Lutheranorum scriptum, quod nuperrime ab ipsis missum accepisti, in quo tuis literis, quas ipse prius ad illos dederas de re religionis, rescripsere. Defugerim ego quidem istammet prouinciam, ut mihi meisque viribus paullo grauiorem, nisi piaculum ducerem, morem tibi non gerere; et audirem praeter ea praecipientem nobis ore Petri Spiritum S. paratos nos esse ad satisfactionem

omni poſcenti nos rationem de ea, quae in nobis eſt ſpe. Et ego quidem literas illas a te ad eos miſſas non vidi, ut noſti, ſcio tamen ex doctrina Domini noſtri ex abundantia cordis locutum eſſe os tuum, & bonum hominem de bono theſauro non niſi bona protuliſſe dico, quod ex reſponſo ſcribentium ad te hominum etiam facile eſt colligere. Qua propter nihil ambigens de ſenſu literarum tuarum, tanquam ſi ipſe eas ſcripſiſſem, ita pro eis reſpondebo. Et quaſi mecum ſermo Dni. Lutherani eſſet, ita cum ipſis loquar, vos igitur quicumque eſtis, qui hoc ſcribitis viri optimi, ne ægre feratis pro veſtra ſapientia eum vobis reſpondere, quem non compellaſtis & ne noſtis quidem. Scitis enim in fide Chriſti omnium cor vnum debere eſſe & animam unam, ac proinde ſi ad unum quempiam eorum loquaris, loqueris ad omnes, & ſi interroges omnes, interrogas ſingulos, unde tametſi ab alio vobis reſponderi videtis, quam ad quem ſcripſiſtis, ab uno tamen putetis reſponderi. Quod ſi privatim de me quid hominis ſim cognoſcere cupitis, ſcitote me omnium veritatis ſtudioſorum eſſe cunctiſſimum, nec ut amem aliquem talem, habeo. Habeo opus, ut ipſum videam, ſatis eſt ſi audiam ſtudere eum veritati. Quomodo nunc in vos me affectum ſentio. Cum enim ſcriptum veſtrum quo R. R. Patris Michaelis literis reſcribere non gravati eſtis, vidi & perlegi non contentionis animo, ſed ſtudio veritatis id vos feciſſe

ſe exiſtimo, nam ſi contendere vobis libuiſſet, non apud nos utique, qui longe abſumus, locum iſtius pugnæ quæreretis, habetis enim vicinos vobis, imo domeſticos, eosque ampliſſimos contendendi campos. Conſilium itaque eſt veritati ſtudere, eamque aut aliis oſtendere, aut vobiſcum ipſis inuenire. Quo nomine maximas gratias agimus illi, qui omnis veritatis aſſertor ipſaque veritas eſt: veſtramque admodum ſuſpicimus ſapientiam & ut Pater Michael non litigandi libidine, ſed ſtudio veritatis compellavit vos. Vosque eodem conſilio ipſi reſpondetis, ita ego quoque quantuluscunque et quicunque ſim, non alio affectu ad veſtram reſponſionem reſpondebo. Sed jam ad ipſam rem accedamus.

Summa ergo ſcripti veſtri hæc eſt.

Dicitis I. Non inficiari vos, eſſe unam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, ſed eam eſſe Græcam noſtram negari: non enim eſſe eam per totum orbem diffuſam, melius nos ſentire contrarium quam olim Donatiſtæ ſentiebant, qui dicebant, apud ſe tantum eſſe Eccleſiam Catholicam, nunc condemnati ſunt. II. Deinde Eccleſiam veſtram Lutheranam eſſe partem Eccleſiæ Catholicæ, quod nullius hæreſeos rea ſit. III. Præterea ſigna veræ Eccleſiæ apud vos quoque reperiri (exceptis miraculis) eaque puram verbi Divini prædicationem & legitimam adminiſtrationem ſacramentorum. IV. Apud nos tamen contra, non

esse puram doctrinam, cum Spiritum S. doceamus procedere ex solo Patre, contra, quam antea uti vobis videtur, credebamus, additisque pro processione ex Filio testimonium Augustini. V. Injusti vos a nobis damnari hæreseos, vos enim Conciliis & Patribus cum illi scripturæ consonant & ipsos consonare. VI. Frustra nos gloriari Lithurgia nostra, apud vos quoque eandem vigeri & quidem ad antiquam Apostolorum normam exactam esse. VII. Male itidem eo nomine vos condemnari, quod a Romana Ecclesia recesseritis: Ubi causa justæ recessionis reddentis subjicitis narrationem de Doctore Martino Luthero, constitutum illum publicum concionatorem; advertisse in Papatu maiores in diem et plures errores erumpere. Ut sunt: sub una specie SS. Eucharistiam populo distribui. Matrem Dei sanctosque vita sanctos implorari; peti ab eis quod non nisi a solo Deo impertiri possit. Indulgentiarum (ut illi loquantur) mercimonia in templis exerceri, milleque alia (quæ brevitatis gratia non numeratis) genera impietatis esse, ab his & aliis ut abhorret Populus Lutherum efficere contendisse: eamque ob causam accusatum apud Leonem X. Pontificem ab eoque monitum, & tandem anathemate uti dicitis esse percussum. VIII. Non esse vos antiquis hæreticis Arianis, Nestorianis, Dioscorianis aliisque annumerandos hæreticis, nihil enim apud vos commune deprehendi posse. IX. Traditiones non scriptas caveri oportere, ut per-

pernitiosas idque colligi ex 4 Ephes. ex 2 Petri 1. ex Isaiæ 8. ex Apocalypseos 22. nusquam esse traditionum mentionem. X. Miracula non esse signa veræ Ecclesiæ Aug. testimonio comprobatis, aut si essent, Romanam quam potius Græcam Ecclesiam dici debere Catholicam, cum in ea plura longe miracula videre vos dicatis. XI. Nominata a Patre Michaele miracula ignem Hierosolimitanum, S. Antonii sepulchrum Dæmonibus terribile, & miram Basilicæ Pieczariensis ædificationem partim contemnitis, partim quibusdam rationibus inferius confutandis extinguere conamini. XII. Ad extremum occasionem dissertationis, quam P. Michael litteris suis inseruit, de charitate dicitis eum ipsum charitatis expertem esse, accessisse eum ad eos, qui sibi solis nomen justitiæ vendicantes reliquos omnes in SS. Trinitatem credentes a charitate arcent & rejiciunt. Hæc est scripti a vobis missi summa, ut ego a P. Michaele in nostrum idioma ex Germanico conuersum legi, cum ipse nesciam Germanice. Nunc ad singula Capita *Respondeo.*

1) Ad *primum:* Dicitis Ecclesiam nostram non esse Catholicam & Apostolicam Ecclesiam? quo argumento? possitne nostra Ecclesia alicujus hæreseos condemnari? hoc enim maxime a Catholicismo excludit, uti vos quoque infra dicitis. Ideo vestram Ecclesiam esse partem Catholicæ Ecclesiæ, quod nullius hæreseos rea sit. Non esset u-

tique vestra quoque sententia Catholicæ Ecclesiæ pars vestra Ecclesia, si alicuius erroris convinceretur, convincite ergo nostram erroris, & licebit nos a Catholicis appellare, sed uti hactenus nemo convicit, ita nec in æternum quisquam conuincere poterit. Forte dogma de processione Spiritus S. ex solo Patre vocabitis errorem, sed qui hoc erroneum vocant, vehementer errant, & ipsi hæretici sunt, ut infra ostendemus.

Additis tamen rationem, cur nostra Ecclesia non sit vobis Catholica, quod scilicet per totum universum non sit diffusa. Quæro: Nomine catholicæ intelligitis totam quanta quanta sit fidelium congregationem? an ut denotat quamlibet etiam particularem Ecclesiam corpori Christi inhærentem, & dogmata eius seruantem? hoc enim pacto eam unius civitatis Ecclesiam dicimus Catholicam? Si *secundo* hoc modo negatis esse Catholicam nostram Ecclesiam, debebitis (ut supra dixi) aliud adferre argumentum, & erroris nos in rebus fidei convincere, sed hoc vires vestras longe superat. Quod si in sensu *primo* loquimini, quam ergo quæso dicetis vos esse Ecclesiam Catholicam, quam etiam mihi ostendetis Ecclesiam ita amplam, quæ ad omnes mundi limites pomerium suum proferat, totumque orbem occupet ac comprehendat? nescio an erit unquam, scio quod post hominum memoriam nunquam fuit, nec nunc est ulla tam ampla Ecclesia. Forte dicetis,

cetis, vos omnes qui cum ſecum in quibusdam articulis non conveniunt Chriſtianos Pontifices ſi & Reformatos & vos Lutheranos, & Anabaptiſtas, & Huſſitas, & novos atque veteres Arianos, & Armenos atque Neſtorianos & omnes alios Chriſti nomine gloriantes unam eſſe Eccleſiam, eamque per totum mundum diffuſam: ſi ita eſt cur ergo noſtram a cœtu Catholico excluditis? num pejores vobis videmur, quam Anabaptiſtæ, quam etiam Sociniani. Sed ſi vobis ita libet, omnium ſectarum collectio non erit Catholica. Magnum enim & longe lateque potius auguſtiſſimi noſtri Principis Imperium, in quo tamen non Anabaptiſtas, non Calviniſtas, non Pontificios non aliosque reperies, niſi quod nonnulli peregrinentur, militent, ſerviant, (verum enim vero quis non impium putet dicere Chriſti Eccleſiam, quæ tota pulchra eſt & in qua macula deprehendi non poteſt, non tantum ex veris fidelibus, verum etiam ex hæreticis conſtare, atque vel rugis modo, verum virulenta etiam multiplici Diaboli ſanie deformatamque eſſe. Quod tamen ſentire vos non immerito ſuſpicor, ut in reſponſo ad *ſecundum* veſtrum dictum oſtendam.) Nam ſi Eccleſia ex variis ſecum pugnantibus ſectis coaleſcat, quomodo una eſſe queat, unitas enim non in uno viſibili capite conſiſtit ut Monarchici cum Bellarmino hallucinantur, ſed in unitate ſententiæ conſenſuque dogmatum, quæ ſi vera ſunt, uniunt nos uni capiti noſtro Chriſto

Dno. Tolle ergo unitatem fidei, certe unitatem tolles Ecclesiæ. Deinde quomodo Ecclesia vera erit, quæ secum ipsa pugnabit, eadem eum dicit Filium Dei esse æqualem Patri, & eadem negabit id ipsum. Eadem unam & eadem duas personas in Christo collocabit, quis hæc audiens non horreat? Præterea quorsum fuerunt anathemata Ecclesiæ, quibus eam putamus lupos ab ovibus secludere & a Christi grege expellere? Quemnam enim in locum hæreticos cives, si ubique Ecclesia? Ubi exilium, si ubique domus? omnes sectæ quantumvis sibi contrariæ sunt una Ecclesia: a Calvini itaque Synagoga transire ad Pontificiam, aut a quavis alia verbere anathematis expelli erat tantum ex una sacra non vero ex tota Ecclesia seu pelli, seu exire. Denique si in omnibus sectis Ecclesia est, in omnibus & salus est: Cur igitur sollicite disputamus & operose, cur auxilia convocamus? Cur ultro citroque editis digladiamur? Cur non raro etiam ad manus & ad ferrum venit res? Sed hæc multis comprobari videtur otiosi esse: Non fecissem, sed me coegistis infecta mihi de vobis suspicione ut inferius patebit, in malam ergo impegistis nominis Catholici interpretationem, quæ Bellarmini est, cui ut in aliis ita in hoc quoque vestrimet ipsorum doctoris recludantur, licet & ipse eam utcunque temperare, hoc est falsitatem cavillis involvere annitatur libro de notis Ecclesiæ C. 7. qua de re ut salubrius philosophemur, duo quædam

dam dicenda ſunt. *Primo* quid non requiratur neque afficiat quo minus poſſet dici Catholica ſeu univerſalis Eccleſia. *Secundo* quid ſit illud? propter quod dici meretur Eccleſia Catholica. *Primum* igitur non requiritur, ut ſit per totum mundum diffuſa, imo nec ut admodum ampla ſit, multasque nationes, regna atque imperia complectatur, nam Eccleſia Catholica ſtatim atque nata eſt erat utique Catholica, quod igitur num quid totum complectebatur orbem Eccleſia. Adhuc dum etiam intra unius urbis mœnia Hieroſolimæ concludebatur, dumque a S. Luca multitudo credentium numerari poterat. Sed & uti ſupra diximus, nunquam tanta quanta vos requirere videmini, fuit Eccleſiæ multitudo & amplitudo, quod ſi contendat quis, fuiſſe aliquando, ut contendit Bellarminus, citato loco ex Irinæo Lib. 1. Cap. 3. Tertulliano Lib. contra Iudæos Cap. 3. Cypriano Lib. de unitate Eccleſiæ. Athanaſio Lib. de Humanitate verbi aliisque, fuerit ſane, certe noſtra hac tempeſtate tam aplam non vidimus ullam ſectam, inter quas tum quaedam eſt vera Eccleſia; Ideone deſiiſſe nunc Catholicam aſſeramus? Sed & citati a Bellarmino autores hyperbolice locuti cenſendi ſunt & per totum univerſum ſolum potiſſimum Romanum Imperium intellexiſſe, nam ut alia taceam, in toto fere ſeptentrione Patrum illorum Eccleſia Chriſti temporibus non fuit. Quod autem neque potiſſima mundi pars ad Eccleſiæ Catholiciſmum re-

quiratur; multorum temporum vicissitudines magnæque Ecclesiæ calamitates luculenter testantur, quæ ita eam non raro Deo permittente afflixere, ut sæpe ad exiguum numerum redegerint. Nonne hoc passa est tempore propagati proflixi amplificatique Arianismi? cum pestis illa ita longe lateque grassata, totque populos & nationes depasta est, ut quemadmodum ajebat Augustinus, stupuerit orbis, totum sese brevi tempore Arianum factum? Num igitur aut sanctam Dei Ecclesiam sua paucitas aut Catholicam aut Arii Synagogam Catholicam fecerit sua multitudo? Et audi quid dicat D. Gregorius Theologus eius temporis et pestis illius oculatus testis, idemque ipse profligator egregius (Oratione ad Arianos) (ubi inquit sunt isti qui Ecclesiam multitudine definiunt? hi habent vulgus, nos fidem, illi aurum & argentum, nos repurgatam fidei doctrinam) ex quibus verbis apparet, & non requiri ad Catholicismum Ecclesiæ hominum multitudinem, & Arianos hoc ipsum Orthodoxis obiectasse, quod modo Latini & vos Domini modo nobis objicitis Catholicæ ergo meretur nomen Ecclesia, non quod a toto mundo frequentetur, sed quod toti mundo operata sit, & omnibus mortalibus pateat, ad distinctionem videlicet Iudaicæ Synagogæ, quæ erat particularis Ecclesia, illa enim constabat ex uno populo. Hæc licet non semper constet (quod est per accidens) semper tamen constare desideret ex omnibus gentibus,

bus, quod ipsi per se est. Illa angustis Iudææ terminis claudebatur, hæc nullis coercetur limitibus, extra quas pomarium suum proferre non possit. Illa uni tempori seruiebat, nempe ad adventum *primum* Messiæ, hæc ad alterum adventum *Christi*, atque adeo ad consummationem sæculi mansura est, illa uni loco alligata fuit templo scilicet Hierosolimitano, extra quod sacrificare non licebat; hæc ubique terrarum altaria Domino erigendi & incruentum adferre sacrificium jus accepit, unde ipse jus autor & caput, Servator & Dominus noster Iesus Christus interrogatus a Samaritana muliere (Ioan. 4.) in montene illo an Hierosolimis præstaret adorare (mulier inquit crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolimis adorabitis Patrem) & (venit inquit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate) ac si dixisset: transiit jam tempus, quo Patris mei adoratio, utpote quæ corporalibus signis tamquam imago & adumbratio novæ legis celebrabatur, uni cuidam ejus angusto loco annexa fuit, dico: iam nova mea illucescit Ecclesia, quæ, cum sit gratiæ domus, liberalissime sese effundet, non adstringet mysteria sua Hierosolimæ, non monti huic Ierosolimitano, non alii cuipiam loco, sed ubique gentium, ubi spiritui & veritati locum invenerit, ubi non occlusas prædicationi suæ aures, non reluctantes obsequio Christi mentes, non obstinata corda de-

pre-

prehenderit adorationem veri Dei celebrabit & ineffabile adferet ſacrificium, ex quo hoc etiam manifeſtum eſt, quod non modo ut ſit Eccleſia Catholica non oporteat diffundi per totum univerſum, ſed etiam oporteat ac ad totam multitudinem neceſſario adſtringatur, licet ſumma eius eſſet felicitas, ſi tam ampla evaſiſſet. Nam ſicut vera Eccleſia, quæ uni loco & populo alligata fuit, hoc ipſo deſiit, quod talis deſiit alligatio, ita ſi lex Eccleſiae novæ imponeretur, ut ſi Catholica dici vellet, totum omnino orbem occuparet, non eſſet utique tam diu Catholica, donec totum orbem non occupaſſet, & occupato ſemel orbe toto, ſi poſtmodum vel unica minueretur provincia, confeſtim Catholica eſſe deſiiſſet. Itaque quemadmodum fons aut puteus publicus merito dicitur, non ideo quod omnes ciues frequentent & hauriant, ſed quod omnibus, ſi qui velint, haurire ipſum liceat. Ita eccleſia non ideo Catholica dicenda eſt, quod totum mundum comprehendat, licet comprehenderet totum, ſed quod omnibus ſinum ſuum expandat, neminem ad ſe venientem arceat, omni creaturæ Evangelium prædicet, univerſis hominibus fontem aquæ vivæ propinet, licet multi accuſent bibere. Ita poſt Aug. Lib. de unitate Eccleſiæ Cap. 6. & aliis plerisque de nomine Eccleſiæ Catholicæ philoſophandum cenſuerim. Alioquin video quomodo Bellarmini, quem & vos ſequi videmini, interpretationem præſens rerum ſtatus totiusque autiquitatis memo-

memoria pati possit. Quapropter si quis velit religionem aliquam asserere a Catholica debet ostendere eam non illam esse, quam Christus Iudaicæ apposuit, quam omnibus apertam voluit, in qua gratiæ suæ thesaurum liberaliter omnibus, qui velint, erogandum exposuit, hoc est non ei Christi Ecclesiae, quod non numero hominum non locorum spaciis, non multitudine populorum, sed longe aliis argumentis comprobet necesse est. Quid igitur Domini Germani, Ecclesiam nostram Catholicam esse inficiamini, ea sola persuasi ratione, quod non per totum orbem sit diffusa, quod argumentum cum nulla secta alteri secum pugnanti objicere debeat, ut patet ex dictis; vos ne, Deum immortalem! audebitis adversus nostram orientalem Ecclesiam, ejusmodi torquere telum, num ne etiam si multitudine quoque certandum esset, hac quoque in re nostra Ecclesia sectæ nostræ concederit? Ascendite quæso in excelsam quandam speluncam et nostræ vestræque professionis provincias contemplamini, videbitis imperium Principis nostri longe lateque extensum ab occidente ad orientem, & a meridie ad septentrionem longissimis tractibus excurrere, spatiumque multorum regnorum occupare, & hos tot tantosque populos unanimiter dogmata orientalis Ecclesiæ profiteri, videbitis præterea alias innumerabiles extra Rossiæ Imperium sitas nationes, Valachos inquam, Moldavos, Bolgaros, Serbos, Thracos, Macedones Grae-

Graecos, varias provincias Armeniæ, Aethyopiæ, Syriæ, Meſopotamiæ, Aegypti, & ipſius Perſidis partes non contemnendas in eodem ovili Chriſti nobiſcum comprehendi, & licet in variis locis Machometi Tyrannidi occiſi vires et opes, & numerus fidelium imminutus apparebit, ubique tamen, videbitis non deeſſe noſtræ religionis homines, non templa, non ſacerdotes non Epiſcopos, cum ex alia parte Auguſtinam veſtram profeſſionem non adeo magna unius ſeptentrionis parte ſpaciari advertetis, & de amplitudine noſtræ Eccleſiæ contendere nobiſcum in animum vobis ſubiit! Nos tamen nihilominus detractamus hujusmodi certamen, non quod vos ſuperare non valeamus, qui ſi loca etiam & populos ſpectes tanto vobis ditiores ſumus, quanto ingens aliquod imperium, imo vinculo, ſed quod ſi unquam alias hac certe in cauſa non numero, ſed virtute certandum eſſe ſciamus. *At dicetis:* ſi Catholicam Eccleſiam non in eo ſitam eſſe aſſeveratis, quod totum orbem occupare debeat, ſed quod toti orbi aperta pateat nullamque nationem, ſi veniat, arceat aditu, cur ſolum orientalem, ſolum nunc Græcam infinitam catholicam autumatis? ut forte propterea, Donatiſticam neſcio quid ſuperare videamur, quemadmodum in ſcripto veſtro aitis. *Reſpondemus*: Hoc vos audacter dicere et conſtanter aſſeverare, non eſſe inquam aliam Catholicam, aliam in qua ſalus eſt, aliam *Chriſti* Eccleſiam, quam noſtram hanc orien-

entalem, hoc tamen dicendo non adverſamur noſtrae expoſitioni ſuperius traditæ, nec Donatiſtis annumerari jure poſſumus. Cum enim ita dicimus, non alligamus *Chriſti* Eccleſiam orienti, nationi aut linguæ certæ alicui, quaſi ideo orientalis Eccleſia eſſet vobis Catholica Eccleſia, quod orientalis aut Graeca ſit, ſed quod videmus illam per omnia cum Evangelio & doctrina Apoſtolorum totaque antiqua Eccleſia ad amuſſim congruere, ſcimus enim edicti a M. illo doctore Gentium (Rom. 10.) quod non eſt Iudæi diſtinctio & Græci, & (Galat. 3.) quod non eſt Iudæus, Græcus, non ſervus, neque liber, non eſt maſculus neque fæmina, omnes enim vos unum eſtis inquit unum in *Chriſto Ieſu*, & (Coloſſ. 3.) quod non eſt gentilis, & Iudæus, circumciſio, præputiumque Barbarus & Scytha, ſervus & liber, ſed omnia in omnibus *Chriſtus*. Verum cum videamus incorruptam Evangelii doctrinam dogmatumque ſalubritatem in ſola, quae orientalis dicitur Eccleſia veluti pignus vitæ æternæ aſſervari, (quod Eccleſiæ per accidens eſt, cum nihil obſtat, quo minus Germani etiam Romani, Galli & univerſæ nationes eandem ſanctam religionem gratia Dei poſſunt recipere.) Ideo ſolam orientalem Eccleſiam, Eccleſiam *Chriſti*, Eccleſiam veram Apoſtolicam & Catholicam appellamus ac prædicamus, nomine orientalis aut Græcæ materialiter uti ajunt utentes, ſecus quam Pontificii de nomine Romanæ Eccleſiæ clamitent. Nec aliter loquimur

mur ſolam eſſe *Chriſti* Eccleſiam orientalem, quam loquerentur Apoſtoli de primæva illa Hieroſolimitana congregatione, cum nondum Hieroſolimis pedem extulerant: dicerent enim: ſolam hanc quam Hieroſolimis collectam vides, eſt vera Catholica Eccleſia. Et ita dicere non eſt, o boni Germani, dicere more Donatiſtarum. An enim dixiſſet Petrus de primitiis Eccleſiæ in die Pentecoſtis prædicatione ſua *Chriſto* genitis, quod eo ipſo die non eſſet alia, quamvis quæ tunc ex Apoſtolis, & novo ſed parvo populo conſtabat, Catholica Eccleſia? Num igitur quid in errorem cujus enim poſtea damnati ſunt incidisſent? Minime id vero, ſed erraſſet, ſi dixiſſet, ita ſolam illam congregationem eſſe Catholicam Eccleſiam, ut praeter hanc numero alia nec eſſet tunc, nec unquam eſſe poſſet, quomodo poſtea Donatiſtæ de ſua Secta forte dicebant. Caeterum Donatiſtæ id potius dicebant, quod veſtri plerique, et haud ſcio an omnes Lutherani Theologi dicunt; docent enim Eccleſiam ſeptimo circiter ſæculo periiſſe, eamque a Martino Luthero quaſi ab inferis reuocatam, (quanquam plerique moderatius loquuntur, non periiſſe illam quidem, ſed a conſpectu hominum neſcio quorſum aufugiſſe, et per tot ſæcula usque ad Lutherum latitaſſe): Hanc vero fuiſſe Donatiſtarum ſententiam docte ſane ut plerique ex Auguſtino deducit Marcus Antonius de Dominis Lib. 2, de republ. Eccleſiæ cap. 2. numero 52. Vir poſt hominum memo-

memoriam doctrina & eruditione maxime in demoliendo Papatu incomparabilis, ſed quod de Firmiano Lactantio Hieronymus dixit, id de ipſo dici poteſt, utinam ita ſua ædificaſſet, ſicuti aliena deſtruxit. Docet itaque hic autor ex diſertiſſimis ab eo allatis verbis Auguſtini (qui utique ſynchronos Donatiſtis eorumque expugnator fuit) non poſſe interire Eccleſiam, nec in ullius poteſtate eſſe, novam fundare diverſam ab antiqua, num niſi interierit nova fundabatur, quæ procul dubio non erit Chriſti Eccleſia. Unde idem ibidem demonſtrat, unitatem & univerſitatem Eccleſiæ conſiſtere in doctrina & ſucceſſione Apoſtolorum, hoc et nos dicimus. Donatiſtæ autem, cum quibus & veſtri plerique aſſeverant, interiiſſe Eccleſiam & ſua opera novam fundatam, veſtros igitur Donatiſticæ potius hallucinationis pudeat neceſſum eſt. Hæc paulo diligentius diſcurrere placuit, non quod negotioſum ſit argumentum, ſed quod pleroſque Pontificios, nunc autem Lutheranos quoque admiratione videant multitudinem ſuorum tanquam ſi de operibus imperii contentio eſſet, aliis objectare. *II.* Iam ad ſecundum dictum veſtrum, in quo dicitis Lutheranam Eccleſiam eſſe partem Eccleſiæ Catholicæ, breviter reſpondebo: magis me mirari ita vos dicere, quam ſi ſolam veſtram Catholicam eamque totam & non partem diceretis Eccleſiam, cujus enim quæſo Eccleſiæ pars eſt veſtra Eccleſia? Prius enim debetis oſtendere, quænam ſit Ca-

tholica Ecclesia, ut intelligamus, in qua vestra quoque congregatio veluti membrum cohæreat. Sed mirum hoc est, quod mihi de vobis persuasio suspicari, putare vos, veram Christi Ecclesiam constare etiam ex pugnantibus inter se confessionibus & sectis, ita ut & Pontificii, & Lutherani, & Reformati & alii plerique Catholicam Ecclesiam tanquam partes constituant, quod absurdum esse paulo superius demonstravimus, unum hic addo, quod vestri Theologi Vittenbergenses in præfatione libri, in quo acta & scripta sua ad Patriarcham Constantinopolitanum, beatæ memoriæ Ieremiam, eiusque responsa exposuere & in lucem emisere ad 1584, non procul a fine ad Ioannem Ficelerum, quem ibi refutant, scribunt de religione Pontificia: (Postremo, inquiunt, quod sperandum esse dicitis & optamus, ut ad gremium Ecclesiæ redeamus, Respondemus, ritu non esse opus, qui nunquam exivimus de Christi Ecclesia, in qua manemus perpetuo, sed ab Antichristo diaboli Synagoga secessionem fecisse novimus inficiat, cuius nos nec pudet, nec piget, nec pænitet. Et paulo inferius: stulte igitur agis frustraque laboras tu tuique gregis asseclæ, quod nos nostrosque homines ejusmodi libellorum editionibus & præfatione ad vestram cogitatis retrahere Ecclesiam, quae diaboli est Synagoga.) Hæc vestri Theologi, & quod hic de Synagoga Pontificis dicunt, idem credo dicit de aliis quibusvis doctrinæ vestræ non consonantibus sectis, quomodo ergo,

quæ-

quæso vos, constabit Ecclesia vera ex diversitate doctrinæ & sectarum dissidio, ac propterea quomodo vestra Ecclesia pars est Catholicæ Ecclesiæ, uniturne illa cum Romana, Reformata, Anabaptistica, vel non? si non unitur, non erit earum socia pars, partes enim uniri secum postulant, si vero unitur, ergo cum Synagoga Diaboli unitur, ita enim Pontificiam sectam vocant vestri Theologi, & ita etiam alias erraticas Synodos appellare oportet, & recte id quidem, videte ergo quam recte dicatis, vestram Ecclesiam esse partem Ecclesiæ Catholicæ. *III.* Ad *tertium Respondemus.* Frustra vos dicere & apud vos quoque esse veræ Ecclesiæ signa, quæ scilicet sunt duo: Pura verbi divini prædicatio & legitima sacramentorum administratio, (hæc enim utpote vestra, vestrorumque Theologorum dicam,) non sunt signa. *Primo* quia nemo, ne Manichæus quidem aut Arianus, aut si quis deterior sit, nemo unquam hæreticorum dicet, suam prædicationem non esse puram, aut legitimam apud se se sacramentorum administrationem, deinde pura verbi Divini prædicatio non est signum, sed ipsa res, cujus signum quærimus, quærimus enim quis Verbum Divinum praedicat? hoc est, quis sanam & integram & nec in uno dogmate læsam fidem docet? Ariusne an Sabellius, an Pontifex Romanus, an vos Augustani, an nos Rutheni & Græci? unusquisque pro sua sparta pectus gerit, & suam partem delaudat. Non sunt itaque hæc signa veræ Eccle-

ſiæ, cum omnes confeſtim clamabunt, apud ſeſe veram eam eſſe verbi divini prædicationem, ſi quæras de iis generatim, ubi videlicet ſit pura verbi divini doctrina? Sin autem ſpeciatim uniuscujusque ſectæ doctrinam examines, & unam veram atque puram deprehendas, non ſignum ſed rem ipſam, de qua ambigebatur, deprehendiſti, quemadmodum in nundinis ſi roges, ecquis, ſive cras merces habeat, nemo non dicet ſe habere: ſi vero ipſe explores non adulterinum v. g. pannum eſſe non ſignum, ſed ipſam quam quaerebas rem inveniſti. Quod attinet ad miracula inferius in reſponſo ad dictum veſtrum *primum* aliquid diſſeremus. *IV.* Sed jam quod caput rei eſt & in quo vos ſummam ponitis, nimirum utri rectius & purius ſentiamus prædicemusque, vosne qui cum Pontificiis Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere docetis: an vero noſtra Eccleſia, quæ perpetuo credidit & conſtanter credit, a ſolo Patre eſſentialiter & æternaliter (ut loquuntur Theologi) procedere & emanare Sanctum Spiritum? ideo enim non puram doctrinam noſtram, in ſcripto veſtro ſugillatis, quod ita credamus & doceamus, & hoc eſt, quod quarto loco a vobis dictum ſuperius expoſuimus: hoc iam inquam revocamus ad trutinam? quo quidem ſolo bene cognito, non eſt cur de aliis magnopere diſceptemus. Nam ſi in hoc dogmate errare vos & Pontificios convincemus, ſatis utique oſtendemus, nec doctrinam veſtram puram eſſe, nec

nec Ecclesiam veram & Catholicam. Quemadmodum si nos quoque errare hic demonstravistis, palam vobis concedemus & vinctas dabimus manus, & licet non deerunt, de quibus aliud judicium vobiscum ineatur, ut veneratione sanctarum imaginum, de invocatione Diuorum, aliorumque, tamen in hoc uno dogmate erroris convicti errare nos, & nostram Ecclesiam non esse veram, non ibimus inficias.

Disputatio de processione Spiritus Sancti.

Qua quidem de re quoties cogito, subit mihi mirari, & satis mirari nequeo, quid factum sit, ut vestri Protestantium & Reformatorum Theologi, qui omnia Pontificiorum dogmata dum Ecclesiam informare satagebant, ad malleum & incudem revocarunt. Totamque Theologiam examinarunt, hoc unum de processione Spiritus Sancti dogma ventilare gravati fuerint, & inexploratum voluerint. Nam si paulo solidius de eo judicium iniissent, profecto aut nobiscum Deo auspice conjungerentur, aut saltem non tanquam certum & indubitatum haberent, quod quidem non absque fundamento loquor, nam cum Magnus Antonius de Dominis laudatus superius autor, diligentius paulo ad hanc controuersiam animum advertisset, licet in nostram non abiit sententiam, in eam tamen concessit opinionem, ut statueret, dogma hoc incertum esse, utpote quod nullum habeat in sacris litteris fundamentum, at-

que adeo liberæ uniuscujusque opinioni obnoxium, neque Graecos quod a Latinis hac in re diſſideant, jure poſſe convinci, coargui, condemnari Hæreſeos, ita diſputat Lib. 7. de rebus Eccleſiaſticis cap. 10: totus erat in extirpanda Papatus capitalitate, contra quam laborioſiſſime ſimul ac utiliſſime deſudavit, ac proinde non habuit tempus, quo hanc ſolidius controuerſiam judicaret, unde tametſi cognovit Latinorum opinionem non eſſe fidem, non cognovit tamen errorem eſſe. Alius vero, M. Antonio doctrina non inferior, ſed præterea eventu felicior, B. memoriæ Adam Zernikow, cum ſtudioſiſſime in hujus cauſæ cognitionem incubuiſſet, & omnia, quæ ultro citroque jactantur argumenta SS. literarum & diviniſſimorum Patrum teſtimonia ponderando expendiſſet, vinctas dedit manus veritati, & quo tutius ſuæ ſaluti conſuleret, reliquit ſuos exul ſpontaneus, & extra Patriam in parva apud nos Roſſia patriam, ad quam a Deo electus eſt, quæſivit et invenit viginti circiter ab hinc annis. Ingens quoque ſcriptum edidit incredibili eaque ſolidiſſima refertum eruditione, qua Spiritum Sanctum a ſolo procedere Patre omnium quotquot hac de re ſcripſere feliciſſime demonſtravit, cujus partem, quam breui tempore exſcribere licuit, vobis quoque mittimus, ſed de hoc dicemus adhuc paulo inferius. Merito ergo mirari ſoleo, Theologos veſtros perfunctorie tantum de hoc argumento nobiscum agere. Videamus tamen, quibus argumen-

tis

tis processionem Spiritus S. ex Filio astruatis. Et vos quidem viri Optimi Augustanæ confessionis homines, qui nihil fere præsertim de rebus fidei ratum habere vultis, quod non ex Sacris Litteris clare ostendi aut deduci possit (quod optime facitis,) ostendite aut deducite nobis ex sacra & divina Scriptura a Filio etiam procedere Spiritum S. sunt vero hæc praecipua quae forte ex sacra Scriptura adducitis.

Argumenta Latinorum cum Responsione.

Primo: quod Spiritus S. dicatur a Filio mitti. *Secundo:* quod Spiritus dicatur esse *Christi* Spiritus, *tertio:* quod insufflavit Servator Apostolis et dixit: accipite Spiritum S. *quarto:* quod quae Patris sunt, sunt etiam Filii. *Quinto:* quod dixerit Christus de Spiritu, ille de meo accipiet. *Sexto:* quod dicatur Spiritus S. non a semet ipso loqui, sed quæ audit loqui. Hæc sunt præcipua argumenta, quæ nobis Latini & cum Latinis vos quoque Lutherani forte objicitis ex Sacris Litteris. Videamus de singulis quid roboris? Nullum certe eorum est, quod ad dogmatis assertionem sufficiat: dico enim ad primum. *Primo* retorqueo: Filius mittitur a Spiritu, igitur a Spiritu procedit aut generabitur: videte, quæso: quam bona sit vestri argumenti consecutio: quod etiam a Spiritu mittatur, Filius ipse de se testatur apud Isaiam (ecce Dominus & Spiritus eius miserunt me) quod autem eo loco Deus secunda idem persona loquatur, patet ex sequentibus Prophetæ verbis; ubi ait, (hæc

dicit Dominus redemptor tuus Iſrael ſanctus) item incarnatus jam Servator noſter Lucæ 4. de ſe loquitur (Spiritus Domini ſuper me propter quod unxit me, evangeliſare pauperibus miſit me.) Ita Scripturam intellexere patres: Origenes 2. Exegeticon in Ioannem, pagina 57. Athanaſius de Sanctiſſima Deipara Tomo 1. pag. 1039. Chryſoſtomus Homilia de S. & adorando Spiritu, ſub finem Editionis Græco-Latinæ Tom. 4. pag. 225. Auguſt. in multis locis ſerm. 4. de tempore Lib. 2. de Trinitate Cap. 5. Lib. contra ſermonem Arianorum; Cap. 19. & 21. Lib. contra Maximum Antiochenum, Hieron. in Cap. 28. Iſaiæ, Ambr. Lib. 3. de Spiritu S. Cap. 1. Tom. 4. Oper. Colon. cuius verba ob aliam quoque rationem huc facientia placet proponere. (Nunc Dominus miſit me & Spiritus eius, eius quis eſt qui dicit: me Deus & Spiritus eius, niſi qui venit a Patre, ut ſalvos faceret peccatores, quæ ut audis & Spiritus miſit, ne, cum legis, quia Filius Spiritum mittit, inferioris eſſe Spiritum crederes poteſtatis. Ergo et Pater Filium miſit, & Spiritus. Spiritum quoque & Pater mittit & Filius, ſi ergo ſe inuicem Spiritus & Filius mittunt, ſicut Pater mittit, non ſubjectionis injuria, ſed communitas poteſtatis eſt.) Multi alii quoque ſunt antiqui autores, quos in hanc ſententiam adducere poſſumus. Ecce igitur Filius mittitur a Spiritu, quid ergo dices Filium abinde generari aut procedere a S. Spiritu, neque dicas Filium mitti a Spiritu ſecundum humani-

manitatem, Spiritum vero a Filio ſecundum Divinitatem, ita enim plerique adverſarii hanc veſtram reſponſionem excipiunt, nam ut vides apud Ambroſium, (cui et reliqui conſonant Patres hic adducti, lege ſingulos in locis citatis) eadem ſe ratione mittunt, cum ſe mutuo mittunt, Filius & Spiritus S. non quod & Spiritus ſecundum humanitatem mittatur, hoc enim quis dicat? ſed quod & Filius Spiritum, et Spiritus Filium non ſecundum Divinitatem. Et Filius quidem mitti dicitur ut incarnatus et redimens nos, Spiritus vero ut dona ſua nobis tribuens, quæſo autem ubi in Scriptura legis mitti Spiritum a Filio ſecundum Deitatem? imo dicit Servator noſter (mittam eum vobis.) Ecce vobis & in futuro *mittam* temporaneam ſignificat miſſionem. Reſpondeo igitur directe: mittendi verbum quo ſenſu hic accipitur, nimirum mitti Spiritum a Filio, nihil aliud eſt, niſi conſentiente Filio dona tribuere fidelibus, quæ miſſio eſt opus ad extra, ut loquuntur Theologi, omnibus SS. Trinitatis Perſonis commune, quomodo & ipſe ſe ipſum mittere, & dare dicitur Spiritus S. Idem eſt & Filium mitti a Spiritu ex conſenſu tam Patris quam Spiritus S. carnem ſuſcipere & humanum genus redimere, & ita miſſionem hanc intelligere cogunt hactenus dicta, quod ſcilicet Filius mittatur a Spiritu S. & quod uterque ſeſe mutuo mittunt, et miſſione temporanea non intra ſuam ſubſtantiam conſiderata, ſed habita ratione ad hominis. Denique audi Am-

brosium Lib. de Symb. Cap. 10. Tom. 4. operum Colon. 54. (inquit a Patre procedit propter originem; inquit, quem mittam propter societatem unitatemque naturæ.) Quid clarius & luculentius hoc testimonio, tam ad distinctionem missionis a processione, quam ad ejusdem missionis explicationem: procedere enim ob aliam & mitti ob aliam causam docet, distingvit ergo: deinde mitti dicit propter unitatem & societatem naturæ, diserte ergo docet, quid per missionem intelligat Theologia. Huc etiam facit pulchra missionis consideratio, quam sapientissimus Ephesinus Antistes B. Marcus dictus Latinis Eugenius (merito sane, quemadmodum Africani, Germanici, Numidici, Dacici, & alii Romæ Heroes, derivato a devictis a se gentibus titulo insigniebantur) in infelici illo consilio Florentino exposuit Sess. 23. ubi proposita Christi promissione de adventu Spiritus S. ut est apud Ioannem Cap. 15. ita pergit: cum inquit Divinæ personæ tres sint, tribus verbis Salvator est usus, quæ singulis Personis congruenter respondent, & de Spiritu quidem ait,) cum venerit, de se vero una cum Patre, quem ego mittam vobis a Patre, rursus autem de solo Patre, qui a Patre procedit: & vide accusatam Theologiæ rationem, nam per illa verba: *cum venerit*, libertatem ac dominium S. Spiritus ostendit, per illa vero: *quem ego mittam vobis* suum & Patris beneplacitum ad mittendum & manifestandum Spiritum, per illa vero: *qui a Patre procedit*,

dit, causam Spiritus, & unde hic habeat esse, & duorum quidem priorum testis est nobis Gregorius Theologus, sermone in Pentecostem de Spiritu S. (Veniens inquit, utpote liber, missus vero, ut Deo non contrarius. Nam quia præcognito jam Patre olim, et postmodum cognito Filio, postremo manifestatus est mundo Spiritus S. ne Deo contrarius videretur, & alterius cujusdam naturæ seu voluntatis, idcirco a Patre & Filio mitti dicitur, voce hac significante, ut diximus, beneplacitum eorum. Rursus in sermone de Spiritu S. Theologus idem ait, mittitur quidem Oeconomice, venit autem sua voluntate. Quid rei hoc est, quod ait? Oeconomiam vocant manifestationem Spiritus S. in mundo ad hominum utilitatem, sicut ergo missionis nomen Patri et Filio tributum est, adventus autem Spiritui soli, solus enim advenit Spiritus S. nec est necesse intelligere aliquam mittentium personarum venire cum illo, ita cum de processione ait, a solo Patre procedere intelligitur Spiritus S. & nequaquam a Filio. Cur enim Dominus facta sui meritione adeo propinqua & missionem sibi & Patri adscribens non dixit etiam de processione loquens, qui a nobis procedit, sive qui a me et Patre procedit?) Hæc Eugenius doctissimus. Qua quidem Scripturæ expositione, nihil solidius, nihil germanius, nihil clarius esse potest? utpote quæ & rationi admodum consentanea & magni Gegorii Theologi autoritate firmata, & dicto Ambrosii supra allato & alio-

aliorum Patrum Theologiæ per omnia congrua & consona est, sed tamen ad tantam lucem corda affectu occæcata & lippientes occidentalium oculi, caligant, non caligabit procul dubio, qui exuet affectum partium, & amorem veritatis concipiet. Ad *secundum*: Hunc jam videamus, quantum vobis faveat. Quod Spiritus S. dicitur ab Apostolo Christi Spiritus, audiamus ergo, quomodo exponunt consonanter Patres Divinissimi, quomodo & quamobrem Spiritus Sanctus dicatur Spiritus Filii. Omnes ita eum dici ob unam & eandem cum Filio essentiam docent. Diserte Ambr. Comment. in Cap. 3. Epistolæ ad Ephesios Tom. 3. col. 501. (Spiritus Christi, qui & Dei Patris est, datur nobis: In quibus enim unius naturæ unitas est, invicem sui sunt.) Hieronymus Lib. 2. in Epist. ad Gal. Cap. 4. Tomo 6. col. 311. (indifferenter idem Spiritus ob naturæ societatem nunc Patris dicitur esse, nunc Filii.) Idem asserit Lib. 2. contra Pelag. Tomo 2. col. 442. Chrysostomus homilia in Pentecoste, quæ incipit, *omnis quidem dies &c.* Tomo 2. Græcæ Editionis Anglicanæ pag. 584. (Quandoque Spiritus S. dicitur, quandoque Spiritus Filii, quandoque Spiritus Patris, non quod in confusione prædicetur, sed quod inseparabilitatem divinæ essentiæ denotet.) Idem docet Homil. de Spiritu S. Tomo 4. editionis Græco-Latinæ pag. 205. idem alii passim loquuntur: Gregorius Nazianzenus oratione 37. de Spiritu S. Theodotus, Cælesyriæ Presbyter, Com. in cap. 8.

Epi-

Epiſtolæ ad Rom.? Tomo 5. Bibliothecæ Patrum Colonienſis parte 3. p. 579. Anaſtaſius Synaita lib. 1. de fidei dogmatibus Tom. 6. Biblioth. Patrum Colon. p. 696. Leontius Epiſcopus Cæſareæ Cappado, apud Gelaſium Cyzeceum Lib. 2. Actor. Synodi 1. Nicænæ cap. 2. Tom. 2. Concil. col. 208. Didimus Alexandrinus Lib. 2. de Spiritu S. Tom. 6. Operum Hieronymi & multi alii: alii autem dicunt, Chriſti Spiritum appellari, quia ab ipſo miſſus eſt ad fideles. Baſilius M. Lib. 6. contra Eunomium (ex filio effuſiſſe clarum fecit (Apoſtolus Spiritum. S.) Filii Spiritum vocans ipſum.) Damaſcenus item oratione de Sabbatho, S. (colimus Spiritum Sanctum, tanquam Dei et Patris Spiritum, ex ipſo nempe procedentem, qui tamen etiam Filii Spiritus dicitur, quod per ipſum manifeſtatus rebusque conditis impertitus ſit, non tamen ex ipſo habens, ut ſubſiſtat vel exiſtat:) ubi etiam expreſſit, uti vides. Negat ideo Spiritum S. dici Spiritum Filii, quaſi ab ipſo procederet; hinc ergo patet, nihil vobis iſtud argumentum prodeſſe. Imo ſi bene rem perpendatis, maxime vobis obeſt, & nobis favet maxime. Ita enim converto in vos telum: Si Spiritus S. a Filio quoque procedere ſciviſſet, at docuiſſet antiqua Eccleſia SS. Patres explicantes verba Pauli vocantis Spiritum Sanctum Spiritum Filii, reddidiſſent rationem, quod procedat a Filio: propius enim & magis germane diceretur hoc, quam ulla alia ratio-

ratione, cur ergo nullus eorum ita philosophatus est? Cur substantiæ unitatem alii, alii temporaneam missionem pro ratione afferunt, nullus processionem? aut date aliquem ex antiquis, qui ita quemadmodum vos modo verba illa Apostoli exponat. Quod si esset etiam unus, aut alter, cuius verbo standum judicatis, duorum triumve, aut vero plurimorum? Quid, quod ne unicum quidem reperietis? licet autem non inficiamur, Patres etiam SS. plerosque ut homines in aliquibus cespitasse: si tamen in aliquo omnes consentiunt, & præsertim, si nullus aliter sentire deprehenditur, quis quæso, sapere ad sobrietatem, dicet, qui idem cum ipsis sapere noluerit? & hæc duo sunt præcipua vestra argumenta: quæ cum nullam vim habere ostendantur, non est, cur alia metuamus. Si forte dixeris S. Spiritus, si ob unitatem essentiæ, quam habet cum Filio, dicitur a Patribus Spiritus Filii, cur Filius quoque non dicetur Filius Spiritus S. ob eandem essentiæ unitatem. Respondeo *primo* cum simplicitate: quid ad me, ego nescio; interroga Patres, & mirare eos, ita exposuisse verba Pauli, ita enim exposuere: mirare item, nullum aliter exposuisse, nullus enim aliter exposuit. Resp. *secundo*: Filium quoque posse dici & esse proprium Spiritus S. ob dictam rationem, sed non debere dici Filium Spiritus S. nam cum nomen Filii, sit nomen relativum, adeoque non substantiam tantum, sed personalitatem, eiusque relationem ad Patrem denotat,

notat, nimirum paſſivam generationis relationem, ad S. Spiritum, & ab ipſo generari, quod blasphemum eſt. At vero nomen Spiritus S. non eſt relativum, quaſi a ſpirando deductum (non loquor more Grammaticorum, ſed more Philoſophorum aut Theologorum) ſed abſolute ea ratione, qua vſurpamus hoc nomen ad ſignificandam ſubſtantiam materiæ expertem, quomodo & Chriſtus dixit Ioan. 4. (Spiritus eſt Deus.) Proprium enim & peculiarem modum, quo tertia perſona accipit eſſe a prima, non revelavit nobis Deus, ſed Filium quidem gigni a Patre (licet & generationis iſtius rationem ignoramus, ſcimus tamen productionem Filii a Patre eſſe, quodammodo ſimilem generationi) docuit, Spiritum vero S. dixit procedere, quod verbum commune eſt omnibus productionibus, neque unius ſingularis productionis analogiam explicat. Itaque & nomen Spiritus S. commune eſt omnibus SS. Trinitatis perſonis, ita ut & Pater ſit Spiritus, et Filius Spiritus, & tertia perſona Spiritus; quia tamen primam & ſecundam perſonam edocti ſumus propriis nominibus appellare, tertiam vocamus quidem communi vocabulo, quia proprio vocare non didicimus, cæterum quaſi proprio, ad diſtinctionem Perſonarum. Igitur nomen Spiritus, quod commune eſt omnibus perſonis, recipias ut commune, hoc ſenſu & Patrem dicimus eſſe Spiritum, & Filium Spiritum, & tertiam perſonam Spiritum: Si vero idem nomen Spiritus commune

mune accipias, & peculiare, & quaſi proprium, non quod ſpirationis denotet analogiam, ob ſuperius dictam rationem, hoc ſenſu Pater & Filius non eſt Spiritus. Quæ tibi diſſertatio ſi non placet, en Patres iterum idem dicentes: Auguſt. Lib. 4. de Trinitate cap. 11. (Spiritus eſt, inquit, *ineffabilis* quædam Patris Filiique communis, & ideo fortaſſe ſic appellatur, quia Patri et Filio poteſt eadem appellatio convenire. Nam hic ipſe proprie dicitur, quod illi communiter, quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater ſanctus, & Filius ſanctus.) Idem docet Athanaſius dialogo 1. de Trinitate: Tom. 2. pag. 171. Ambroſius de Symbolo Cap. 1. Tom. 4. col. 88. & Cyrillus Alexandrinus dialogo 2. de Trinitate. Tomo 5. parte 1. pag. 637. Anaſtaſius Sinaita Lib. 1. de fidei dogmatibus. Tom. 6. Bibl. Patrum Colonienſis pag. 696. Iſidorus Hiſpalenſis Lib. 7. Originum Cap. 3. Si ergo eodem modo nomen Spiritus S. convenit Patri & Filio, quo & tertiæ perſonæ, licet neſciamus, cur peculiariter hæc dicatur Spiritus, ſcimus tamen, non ſignificari hinc apologiam Spirationis. Alioquin & Pater & Filius ſpiraretur, hoc eſt, eo modo ab aliquo procederet, quo tertia perſona procedit a prima. Quoniam ergo nomen Spiritus non eſt, ut oſtendimus, relativum, nihil obſtat, ut quo minus dici poſſit S. Spiritus Filii Spiritus, quemadmodum obſtat, ne Filius dicatur Spiritus Filius. Quod ſi dicas Spiritus nomen non eſt quidem commu-

ne

ne non ſignificare analogiam Spirationis, vt vero peculiare eſt tertiæ perſonæ relativum, omnino vi vocabuli eſſe, & productionem exprimere, quemadmodum moderni loquuntur Theologi, cum Spiritum ſuſpirari dicant. Nolo nimis de voce contendere, contendo tamen, non in *ſecundo*, ſed in *primo* ſenſu Spiritum S. dici ab Apoſtolo eſſe Spiritum Filii, et contrarium mihi unde quæſo demonſtrabis, nam ſicut verbum *procedere* cum ſit omnibus productionibus paſſivis commune & generale, idem enim ſignificat, *quod accipere ab aliquo eſſe ſuum*, poteſt utique & de Filio dici, procedere eum a Patre, ut communiter loquuntur Theologi, ſed eo ſenſu, quo commune, ut commune accipitur; quia vero de Spiritu S. idem procedendi verbum, quia proprium ignoratur, quaſi proprium & peculiare affirmatur, hoc altero ſenſu neutiquam dici poteſt, Filium a Patre procedere, ita & de nomine Spiritus philoſophandum eſt, ſed pro hoc plus quam debeo, exſolvo, ſatis enim mihi erat oſtendere, non ideo Spiritum Sanctum dici Filii Spiritum, quaſi ab ipſo procedat.

III. Tertium argumentum, in quo dicitur ex eo, quod poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus inflavit diſcipulis dicens: accipite Spiritum S. ſequi, Spiritum a Filio procedere, ſola inficiatione conſequutionis rejicio. Nil enim per inſufflationem hanc aliud denotatur, niſi vel dona S. Spiritus Apoſto-

lis data, ut multi Patres exponunt, vel ipſum etiam in perſona Sanctum Spiritum miſſum a Filio & datum diſcipulis. Quid autem ſit, mitti Spiritum a Filio & quam non ſequitur ex miſſione proceſsionem, iam ſupra oſtendimus.

IV. Quod attinet ad quartum argumentum, ex eo videlicet ſequi, Spiritum procedere a Filio, quia omnia, quae *Pater habet, habet & Filius:* miror & ſtomachor viros doctos, ut hæc objicerent, induxiſſe in animum, neque hactenus poſt liquidisſimas reſponſiones, (quanquam & per ſe cuique patent) cœpiſſe eos pudere tam ineptæ argumentationis. Quis quæſo neſciat, hanc ad eandem ſpectare naturam, & complecti omnia divinitatis attributa, omnibus perſonis communia, non vero etiam extendi ad hypoſtaticas proprietates? alioqui licebit ſic quoque argumentari, omnia quae habet Pater, habet et Filius, ſed habet Pater ingenitum eſſe, & generare, igitur & Filius hoc habet. Præterea omnia, quæ habet Pater, & omnia quæ habet Filius, habere etiam Spiritum S. Patres docent, Dionyſius Areopagita de Divinis nominibus Lib. Cap. 2. Baſilius M. Lib. 3. adverſus Eunomium, Auguſtinus Lib. 2. de Trinitate Cap. 4. Leo Magnus Patriarcha Romanus Serm. 1. in Pentecoſte: Hieronymus in explanatione fidei ad Cyrillum Chryſoſtomus Homil. 67. in Ioannem, Didymus Alexandrinus Lib. 2. de Spiritu S. Epipha-

phanius hæresi 26. Anastasius Sinaita Lib. I. de fidei dogmatibus Tom. 4. Bibl. Patrum Coloniensis pag. 644. Nec scio autem quis contrarium vel cogitare audeat: igitur & Spiritus habebit esse ingenitum, generare, producere Spiritum: quæ omnia absurda sunt. Sunt autem plurimi ineptissimi Latinorum, qui cum audiunt hanc nostram responsionem, negant talia posse dici de Spiritu S. ex eo quod omnia habet, quæ habet Pater & Filius, quia inquit hæc sunt impossibilia. Sed hoc est dialecticæ immemorem esse. Nostrum enim responsum est Syllogismus ducens ad impossibile. Ostendimus enim eo ipso malam argumentationem Latinorum, ad quam nunc respondemus, quia ex ipsa sequuntur absurda & impossibilia, ex quo enim sequitur impossibile, illud & ipsum impossibile est; nam falsum nomini ex falso sequi prædicat dialectica, dum sobria est. Vrgent tamen nonnulli, Filium Dei habere omnia, quæ habet Pater, excepta sola generatione activa, idque ex SS. Patribus doceri se perhibent. Cum ergo producere Spiritum S. non sit generare hoc quidem carere, illud vero habere, ipsum contendunt. Respondeo admissa authoritate Patrum, qui solam generandi vim excipere videntur: quæso per activam generationem vel intelligitis solam primam subsistentiam, quæ ipse Pater est, vel solam ejus ad Filium relationem præscindendo a relatione ad Spiritum S. quæ quidem non sola ratione distin-

gvuntur, cum in re idem ſint, ſi primum ergo ubi Patres excipiant, activam generationem, excipiunt totum id, quod hypoſtatice proprium Patri eſt, adeoque & productionem Spiritus S. Si ſecundum: ergo ſaltim habebit Filius ingenitum eſſe, ſic enim inſtabo: Omnia quæ habet Pater, habet & Filius, excepta activa generatione, ut illa proſcinditur ab aliis hypoſtaticis proprietatibus in Patre conſideratis; ſed eſſe ingenitum non idem eſt quod & generare, hoc enim eſt producere Filium, illud vero non eſſe ipſum ab ullo alio generatum: & per hoc refertur Pater ad Filium, per illud non refertur ad illum. Ergo Filius habebit commune cum Patre ingenitum eſſe. Dices, ſi genitus eſt, patet jam non eſſe per ſe ingenitum? Reſpondeo hoc ipſo ergo male interpretaris illam Patrum exceptionem, cum ex tua interpretatione ſequantur contradictoria. Sed & pariter Patres dum dicunt Spiritum S. omnia quæ Filius habet, habere, excipiunt ſolam generationem, ut Gregorius Theol. oratione 44. in Pentecoſte. (Omnia, inquit, quæcunque ſunt Filii, Spiritus Sancti ſunt, excepta generatione.) Ergo Spiritus producet alium Spiritum, hoc eſt non tu dicis, habere Filium, & hoc contrarium jam per ſe non conſtat, ſed ex revelatione habemus. Cum ergo Patres generationem excipiunt totam cum omnibus ſuis proprietatibus Patris hypoſtaſim, adeo & vim producendi Spiritum S. negant de Filio. Denique Gregorius Theo-

Theologus non generationem tantum ſed ſimpliciter cauſam excipit, Oratione 24. in adventum Ægyptiorum (quidquid, inquit, Pater habet, idem excepta cauſa Filius eſt.) Reſpondet Bellarminus Lib. 2. de Chriſto cap. 22. per cauſam hic intelligere Theologum ſolam generationem. Sed hoc dicit Pontificio arbitratu, & non quod intendebat Gregorius, ſed quod Bellarminus noluit eum intendere explicat. Gregorius vero alio in loco clarius ſeſe explicavit, & cavillis Ieſuiticis occurrit. Oratio enim prima quæ eſt apologetica pro fuga ſua (non ita, inquit, Chriſti amore affici convenit: ut nec Ei Filii nomen conveniat, nec Patri cauſæ prærogativa, quam ut Pater et Genitor habet. Parvorum enim utique & abjectorum, imo abjecte indigneque cauſa fuerit, non Divinitatis & bonitatis illius cauſa, quæ in Filio & Spiritu S. conſideratur.) Vide quomodo cauſam non pro ſola generatione Filii, ſed & pro productione Spiritus S. intelligat.

V. Reſpondeo ad *quintum* argumentum: Chriſtus, inquit, de Spiritu dicit, *de meo accipiet*, hoc autem nil aliud eſſe contendunt, niſi quod procedat ab ipſo. Accipere enim unam in Trinitate Perſonam ab alia, eſt accipere ſuum eſſe ab alia: Cum quidquid accipit ipſa eſt. Ergo Spiritus S. quidquid accipit, ipſe ille eſt, adeoque ſe ipſum, id eſt ſuum eſſe accipit: accipit vero a Filio, idem enim eſt de meo, quod & de me, ergo a Filio ſuum

eſſe accipit, atque adeo procedit a Filio. Reſpondeo duplex eſt SS. Patrum in hunc obſcurum locum Commentarium. Alii enim hoc *de meo* interpretantur de Patre meo: alii idem eſſe dicunt, quod de me, id eſt de Filio, propter quam diuerſam interpretationem apparet, utique obſcura hæc eſſe verba Servatoris. Primo igitur vel exinde conſtat, quam imbecille hoc ſit Latinorum argumentum. Quod locum Scripturæ adducit, quaſi id, quod ipſi volunt, aperte & clare teſtetur, cum tamen in explicando illo Patres non conveniant: quis autem fidei dogma ex obſcuræ Scripturæ locis ſtatuere iure poſſit? Dogma enim fidei eſt id, quod revelatum eſt a Deo: quomodo vero id dices eſſe revelatum, de quo clarum Teſtimonium in Scriptura non habeas, aut aliud oſtende, aut ſententiam quam non ſatis intellecto Scripturæ loco, & diverſas interpretationes patiente comprobare niteris, dogma eſſe fidei ne dixeris, ſi enim hoc & non aliud quod tu vis, dicas intelligi per verba, a Patribus varie expoſita, jam non Divina Autoritate, ſed tua libidine opinionem tuam variam eſſe contendis. Cæterum licet diuerſam illam Patrum expoſitionem eſſe, qua ut ſupra diximus, vocem de meo, alii de Patre, alii de Filio interpretantur, neutra tamen favet Latinis. Nam qui dicunt idem de meo quod de me, id eſt de Filio ſonare: Illi per verbum accipere intelligunt miſſionem temporariam at communionem ejusdem eſſen-

ſentiæ, quam vero exponit de meo, id eſt de Patre loquuntur de æterna proceſſione: utrumque enim nihil prodeſt Latinis. Sed videamus utramque partem: ex illo ergo qui hoc de meo, exponunt de Filio clariſſime loquitur, Euſebius Emiſſenus Dominica 4. poſt Paſcha. Tom. 5. parte 1. Bibliot. Patrum Colonienſis p. 682. (Hæc autem, inquit, quoniam omnium trium communia ſunt, & ſubſtantialiter omnia poterat dixiſſe Dominus ſi voluiſſet, quia de meo & ſuo accipiet & annunciabit vobis, nam et Filius quando prædicabat, & de ſuo, & de his, quæ Patris & Filii ſunt, accipiebant, quoniam una eſt ſapientia & veritas omnium trium.) Ecce quam aperte accipere exponit idem eſſe, quod habere commune omnibus tribus perſonis ſapientiam & veritatem, imo & de ſuo Spiritu Sancto accipere Filium non putat, ergo idem eſſe quod ipſum generari, neque enim a ſemet ipſo, neque a Spiritu generatur. Idem ſonant verba S. Ioannis Chryſoſtomi Homil. 77. in Ioan. ante medium Didymi Alexandrini Lib. 2. de Spiritu Sancto Tom. 6. Operum Hieronymi, Ambroſii Lib. 2. de Spiritu Sancto Cap. 12. Cyrilli in multis locis ſi ea diligenter perpenderis, ut dialogo 6. de Trinitate Tom. 4. Part. 1. pag. 593. & Lib. 11. in Ioan. Cap. 2. & in Theſauro aſſertione 34. Tom. 5. Parte 1. pag. 350. Athanaſius vero Tomo 2. pag. 17. Epiſtola ad Serapionem, de miſſione intelligit. (Filii, inquit, eſt Spiritus, & a Filio ac-

cipit omnia, ut ipse ait & insufflans dedit eis Discipulis) Ex alia vero parte qui per verbum accipere intelligunt procedere disertissime per hoc de meo intelligunt de Patre, idem M. Athanasius aliter hoc ipsum exponit, Dialogo 1. contra Macedonium Tom. 2. pag. 278. ita loquitur: (ille de meo accipiet nempe de Patre, hæc enim subjungit: omnia quæ Patris sunt, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet & annunciabit vobis, accipere illum dixit, non ex ignorantia, sed quod Spiritus energiam & gratiam ad causam referat.) August. Lib. 2. de Trinitate Cap. 3. Tom. 8. idem prorsus docet & tractatu 100. in Ioan. & tractatu 107. in Ioan. & aliis locis: Greg. Theol. Oratione 37. pag. 611. & alii passim: Sed si ipsum Textum Euangelii consideres, id ipsum Christum diserte docuisse videbitur: Christus enim Dominus cum dixit de Spiritu S. de meo accipiet, subdit rationem hanc: quia omnia Patris mea sunt. Tale ergo est ipsius Enthymema: omnia Patris mea sunt, ergo Spiritus de meo accipiet. Quæso quæ hic latet tertia propositio, ut sit perfectus Syllogismus, Omnia Patris mea sunt, sed Spiritus accipit, id est procedit de Patre: Ergo de meo accipiet, verba ergo hæc Domini quomodocunque explicentur, nihil juvant caussam Latinorum.

VI. Sextum Argumentum, quo processionem Spiritus S. a Filio ex eo deducere conantur aliqui, quod

quod dixerit de Spiritu ſuo Dominus Ioan. 14. Illum *non a ſemet ipſo loquuturum; ſed quæ audiet loquuturum*, ſicut eſt cognatum & fere idem cum ſuperiore, certe easdem vires habet, ita eadem ſolutione facile enervetur. Nam qui Patres verbum audiendi ut hoc loco a Servatore adhibitum eſt, pro participatione eſſentiæ accipiunt, illi a ſolo Patre ab eo videlicet, a quo & accipere dicitur, audire dicunt Spiritum S. Qui vero a Filio quoque audire eum docent, illi jam verbo audiendi non proceſſionem, ſed eſſentiæ communitatem, unitatem, identitatem, conſenſum item & beneplacitum ad externas actiones, ad illuminandos, docendos, aliisque donis cumulandos homines intelligant. Lege eosdem Patres, qui in ſuperiore argumento adducti ſunt, & eadem quæ ibi, eorum verba inſpice: ubi enim de verbis, de meo accipiet, loquuntur, ibidem aguntur & de his aliis: non loquetur a ſemet ipſo, ſed quæ audiet loquetur, addo hic unum teſtimonium Auguſtini, quo ille contendit, Spiritum Sanctum non audire a Filio Lib. contra Serm. Arianorum Cap. 23. (Quod autem in omnibus Spiritus Sanctus Chriſti præceptum expectet, ut habent, legant, ſi poſſunt.) Ad Arianos loquitur (quod enim dictum eſt non a ſe loquetur, non eſt dictum, quæcunque a me audierit, ſed quæcunque audierit, loquetur, cur autem dictum ſit, paulo ante jam claruit ex ipſius quam commemoravi Domini expoſitione, ubi ait omnia, quæ habet Pa-

ter, mea ſunt, propterea dixit de meo accipiet.) Ex his luculenter patet, quod cum Ariani ex eo, quod Spiritus S. a Filio accipere & audire dicatur, (ita enim hi exponebant verba illa) deducerent Spiritum S. eſſe inæqualem, imo ſubjectum filio, & quaſi miniſtrum ipſius. Auguſtinus confutans ipſorum argumentum, aliter quam ipſi, Domini verba exponit, dicitque, ideo dici Spiritum Sanctum accipere de proprio Filii, non quod aliquid a Filio accipiat, ſed quod a Patre procedat: quam tamen ex verbis Domini, omnia Patris ſunt Filii, recte dicit Servator de Spiritu: de meo accipiet. Vnde inquit adductus Doctor non e Spiritu; quæcunque a me audierit, ſed quæcunque audierit, loquetur, quibus verbis uti vides, priorem ſuam verborum de meo accipiet expoſitionem confirmat, nam ut ibi de meo expoſuit, non de me, ſed de Patre meo, (quemadmodum videre poteris in locis Auguſtini ſupra citatis,) ita & hic audire Spiritum Sanctum, dicit, non a Filio, (non ſcriptum inquit eſt, quæcunque audierit a me, ſed quæcunque audierit loquetur.) Hæc ne igitur ſunt Scripturæ teſtimonia de proceſſione Spiritus Sancti ex Filio? hæc dogmatis firmamenta? hæc ſufficiunt, ut quod corruptiſſimæ ætatis homines Scioli illi & verſificatores inepti Gallici Italicique Rabulæ Papæque omnium mortalium longe turpiſſimi, Sergii illi, inquam, & Stephani, & aliæ fœdæ beſtiæ, monſtraque poſt hominum memoriam inaudita, quæ circa id tempus,

pus, cum hæc peſtilens doctrina per occidens ſerpere cœperat, & inferno prodire: hæcne, inquam, argumenta tanta ſunt, ut quod iſti Magiſtri Reverendi effutierint, nos trepidi, & meticuloſi putemus vocem veniſſe de cælo, tonitru ſonuiſſe, Angelum loquutum eſſe Dei, ad mortales factam eſſe revelationem? quam præſtaret ſequi monitum S. Cyrilli, Hieroſolimitani, Catecheſi 16. (dici, inquit, a vobis de Spiritu Sancto quæ ſcripta ſunt; ſi quid non eſt ſcriptum, curioſe non ſcrutemur: ipſe Spiritus S. locutus eſt Scripturas, ipſe de ſe dixit, quæcunque voluit, at quatenus fuimus capaces, dicantur ergo, quæcunque dixit, quæcunque vero non dixit, non audeamus.) Vbi ergo ſcriptum eſt, ubi dixit Spiritus Sanctus procedere ſe non a Patre duntaxat, ſed etiam a Filio, cur ubi dicitur a Domino, quod procedat a Patre, non additum ſit a Filio etiam? Atqui erat opportuna occaſio dicendi, forte id ſubſtituit Servator noſter permotus 4. ratiunculis, quas poſt quindecim ſæcula, expoſiturum ſcivit Cornelium a Lapide Commentar. in Cap. 15. Ioan. quibus nihil ineptius mihi quidem legiſſe contigit. Sed mihi vobiſcum eſt ſermo quicunque hæc legitis viri optimi. Nonne quidem miror ſatis, vos Pontificis Rom. hærere in horrore & quaſi compeditos jacere, quippe qui ſeſe ſuumque intellectum, ita uno miſerrimo homini cæco duci addixerunt, ut per illum legant, per illum intelligant, per illum credant; Divus jam perſvaſa plebe Epiſcopis pudendis plerisque

igno-

ignorantia laborantibus aliisve mutire quidem audientibus, omnibus omnia alia quam quæ opus est agentibus: interim Diaboli ministris, Parasitis itidemque Sophistis nihil non ad libitum Papæ molientibus; quoque veluti clave confirment errorem populi & viam omnem ad veritatem vivendi præcludant clamitantibus rabide, summum Pontificem in rebus fidei nequaquam errare posse. Quis ergo istorum valetudinem non desperet? at miramur vehementer Augustanæ Confessionis Theologos, qui sese rupisse vincula Babylonicæ Tyrannidis gloriantur, non delegisse hactenus tempus idoneum, quo solide Scripturæ loca Patrumque interpretationes atque totius antiquæ Ecclesiæ sensum perpenderent, & quid sentiendum sit de processione Spiritus Sancti data opera omnique studio & non perfunctorie consulerent. Habemus penes non librum Vittembergensium Theologorum, in quo acta & scripta sua cum beatiss. Mag. Ieremia Patriarcha Constantinopol. ultro citroque misso exponuntur: ubi et de processione Spiritus Sancti disputatur: sed omnia eorum argumenta per has nostras responsiones hic a me breviter, nec pro rei magnitudine expositas facile dissolvi quisque fatebitur, si modo veritati magis quam imbutæ persuasioni studuerit, & quantum quidem ad vos, quibuscum mihi res modo est, satis jam egisse videor, ubi clare ostendi, nil ex S. S. literis pro vestra contra nos sententia offerri posse: fere enim solius Scripturæ autori-

toritatem exoſculari dicitis vos, ubi ergo in Scriptura legitis, quod de Spiritus Sancti proceſſione una cum Pontificiis opinamini loca hic adducta per ſe nihil tale dicunt, niſi forte deduci ex illis poſſit, non poſſe autem ſatis jam demonſtravimus. Et quod præterea inculcare placet conſiderate Deum immortalem, conſiderate diligenter, oro vos, cur nullus antiquorum Patrum, ita hæc Scripturæ loca intellexit, ut ex iis Spiritum Sanctum a filio procedere ſtatueret? cur aliter ea omnes expoſuere, quam modo vos exponitis, cur dogma hoc per multa ſæcula inauditum fuerit in Eccleſia? ipſi enim ſæpe fatemini, non fuiſſe de re hac quæſtionem. Idemne non fuit quæſtio, quia non dubitabat Eccleſia Spiritum Sanctum procedere a Filio, an quia penitus ignorabat? Si primum, cur ergo iterum dico Patres exponentes Scripturæ verba, quæ vos pro argumentis habetis, nihil tale uti vos ex iis deducunt: ex his enim et non aliis ſciebat locis, ſi in hoc dogmate vobiscum ſentiebat vetus illa Eccleſia. Quod ſi id ignorabat, ecquid quæſo myſterium fuit, ut D. I. O. M. dogma hoc majoribus noſtris occultum & ignotum voluerit, & usque ad nonum, poſt redemptionem noſtram Sæculum reſervarit aperiendum; per aliam ergo neſcio quam Scripturam poſteritati hoc aperuit? An per eadem verba, quæ hic explicavimus, ſi per aliam, hoc itaque nihil tale dicunt, ſi per hæc, quæro iterum, quomodo antiquis patribus oculi tenebantur,

bantur, ne eorum ſenſum agnoſcerent? ſed forte nullus tanti ingenii, doctrinæ & diligentiæ vir fuit, ut hæc germane poſſet exponere, antequam Sorbonici doctores emerſiſſent. Eos enim primum excitavit ad defendendam proceſſionem Spiritus Sancti a filio Nicolaus I. Papa Epiſtola 70. Tom. 8. concil. col. 469. & deinde Sergius ille omnium animalium ſpurciſſimus. Quæ ex Patribus objiciuntur nobis, hic non diluo, ob eam potiſſimum rationem, quod ſciam, me ſatis feciſſe vobis, ſi objectiones ex Scriptura depromtas diſſolverim. Quia tamen vos in epiſtola ad Patrem Michaelem hunc ex Auguſt. (ut putatis) locum adduxiſtis, (nullatenus dubitandum, ſed firmiſſime tenendum eundem Spiritum Sanctum qui Patris & Filii unus eſt Spiritus, de Patre & Filio procedere) reſponſionis loco mitto vobis duos tractatus ſupra laudati autoris Adami Zernikaw, in quibus ille incredibili eruditione (ipſi quæſo judicate) multas enarrat corruptelas, a Latinis in ſcriptis orientalium & occidentalium Patrum circa proceſſionem Spiritus Sancti perpetratas. Opus diu optatum, ſed hactenus, quantum ſciam, a nemine tentatum, niſi forte quod aliqui noſtri unum et alterum alicujus Patris locum corruptum eſſe contenderint. Legite, quæſo, hoc, & quod vobis de eo videatur, ſi placet, ſignificate nobis, ego quidem non modo non dubito, nullam poſſe dari idoneam hujus ſcripti confutationem, ſed ne quidem capere

pere aut intelligere valeo, ecquaenam esse possit ratio confutandi? quod cum legitis, sat vobis commendamus diligentissime pensitanda: 1. Quam inops testimoniorum sit Latinorum dogma, ut tot scripta Patrum corrumpere opus fuerit. 2. Quod sentiendum sit de aliis quoque, si quæ forte ab hoc autore non deprehensa sunt verbis Patrum, quæ Latinis favere videantur. 3. Quam frustra conqueruntur vulgo Latini, Græcos ad Patrum testimonia ab ipsis adducta nihil respondere, nisi ea Latinorum fraude corrupta esse, quod & vester Ioannes Herbinius facit in libello de scriptis Kijoviensibus Cap. 14. numero 2. ecce enim quod dicimus manifestissime demonstramus. 4. Quam multi apud Latinos inventi hactenus fuerint, qui de suo hoc dogmate vacillarint, nisi tamen & calcitrare contra veritatem quam ingenuo profiteri eam maluerint, obstare enim sibi videbant multorum Patrum testimonia, & sibi nulla occurrere faventia, ut propterea manum violentam eorum scriptis inferre non dubitarint, neque enim uno tempore, neque ab uno homine tot SS. Patrum verba contemerari potuere, quorum multitudo fere ad centesimum excrescit numerum. Si quis dicat, se suorum etiam hominum maleficum, hoc non probare, neque nocere id veritati, quod alii eam, cum bene probare non possint, male & fraudulenter audeant demonstrare, hominum id non religionis vitium esse: ut Bellarminus, & Leo Allatius confitentur?

Respon-

Respondeo: Bellarminus & Allatius id ita dixere, quia putabant, unicum tantum Damasceni locum corruptum esse, alii item & Petrus Pithœus, idem confessi sunt, quia pariter unum alium locum censebant esse temeratum? si vero tot loca corrupta esse resciviſſent, nescio profecto quod dicerent. Deinde vertatur sane fraus, hoc pessimus hominibus, non vero toti religioni Pontificiæ, quid igitur? unde jam comprobabunt dogma suum: per hos enim duos tractatus omnia ipsis, quæ adversus nos vibrabant, arma erepta sunt. 5. Hoc præterea vobiscum perpendite: Ecquosnam magistros hoc in dogmate habeatis? corruptores nefarios, qui ultro se ipsos, si aliæ deessent rationes, vel hac sola detecta fraude malitiosissimos, & ut vocant formales hæreticos, ostendant. Præterea dogma hoc apud Latinos excusum est, jam citra nonum sæculum, quando in Aquisgranensi conciliabulo sciolis ita placuit, quorum placitum licet admiserit Leo Papa IX. seductus corruptis jam tunc verbis aliquorum Patrum, Symbolo tamen additamentum illud inserere recusavit, & inserentes diris devovit. Hoc sæculo protestantes Theologi, corruptam jam Ecclesiam fuisse clamant, puram enim Ecclesiam vix ad Sæculum septimum docent permansisse, quomodo ergo corrupti hujus Sæculi fœtum pro sincero dogmate admittere non dubitatis. Quantum attinet ad verba ex Augustino a vobis P. Michaeli proposita: pace vestra dico, verba hæc

hæc nuſpiam apud Auguſtinum reperiri poſſe, ſed ſunt in libello Fulgentii, operibus Auguſtini annexo, quae tamen nequaquam cenſeo ſcripta a Fulgentio, cum magnam fraudis ſuſpicionem ultro ingerant, (*firmiſſime, inquit, crede Spiritum Sanctum a Patre & a Filio procedere*) inculcat firmiſſime credendum, quaſi ſumeret, ne forte in Patrem Græcorum concederet diſcipulus, cum nondum ulla eſſet hac de re quæſtio: apage nugas impoſtoris nequiſſimi.

Græca fundamenta.

Reliquum erat, ut noſtra argumenta, quibus a ſolo Patre Spiritum Sanctum procedere contendimus, proferrem in medium. Cæterum cum multis aliis negotiis tenear, & hæc, quæ hactenus dicta ſunt, ſufficere ad veritatem cognoſcendam certo ſciam, pluribus hic agere ſuperſedeo. Nam ſi nihil ex Sacra Scriptura de proceſſione Spiritus Sancti a Filio poſſe elici comprobaverim, & præterea corrupta eſſe multorum Patrum ſcripta lucide oſtendantur; ſequitur, ut Spiritus Sanctus a Patre tantum, nequaquam etiam a Filio procedere confiteamur. Quod vero vulgo objicitis, licet dicitur, a Domino Spiritum S. procedere, a Patre, non tamen hoc ipſo negari eum procedere a Filio. Reſpondeo: Non negari clare quidem, &, ut ajunt explicite, negari tamen virtute, ſeu implicite, eo pacto, quo, dum Filius Dei a Patre generari dicitur, non negatur explicite generari eum a Spiritu Sancto: nusquam enim ſcriptum

eſt in Sacris Literis, a ſolo illum Patre generari: Virtute tamen negari, hoc ipſo quod non liceat ſentire, quod ſcriptum non eſt. Denique quidquid vos diceretis hæretice, qui vellet, aſſerere, Filium generari ex Patre & Spiritu, & inſtaret, hoc negatum non eſſe in Scriptura, idem nos vobis reſpondere putetis in praeſenti negotio. Alio tempore, ſi quidem vobis ita viſum fuerit, & prius ad hoc noſtrum ſcriptum reſponderitis, non gravabimur, noſtra etiam pro Spiritus Sancti proceſſione ex ſolo Patre argumenta ad vos transmittere.

Eo loci de Spiritus Sancti proceſſione diſputatur.

V. Nunc jam ad reliqua, quæ ſcripſiſtis, breviter. Reſpondeo ad hoc, quod dicitis conſonanare vos Conciliis & Patribus, ubi illi conſervant Scripturam Sacram, dicimus injurioſam hanc in concilia generalia loquelam eſſe, putatis enim generalia concilia, (ſi modo legitime celebrentur) poſſe aliquando non conſonare Scripturæ; hoc mera hæreſis eſt, cur ergo quæſo convocari debeant concilia? dices, ut non de ſuo aliquid definiant, ſed Scripturæ mentem exponant; ita eſt, ſed quæ eorum certitudo erit, ſi aliquando non conſonabunt Scripturæ? hoc utique & quilibet privatus poteſt Theologus. Patres tamen ſanctiſſimi iique ſapientiſſimi, aliter de conciliorum autoritate ſentiebant: Cyrillus Lib. I. de Trinitate concilium primum Nicænum vocat D. oraculum,

culum, Gregorius Nazianzenus epiſtola 1. ad Clidonium profitetur, ſe non poſſe Apollinariſtas hæreſeos coargui, ſi ſe, quemadmodum jactabant, a catholico concilio receptos oſtenderint: Ambroſius epiſtola 23. (ſequor, inquit, tractatum Nicæni concilii, a quo me, neque gladius, neque mors poterit ſeparare.) Auguſtinus Lib. 1. de Baptiſmo Cap. 18. ſola hac ratione excuſat S. Cyprianum ab hæreſi, quod ejus tempore nondum fuit concilium prohibens iterationem Baptiſmi collati ab hæreticis. Deinde cur omnia concilia hac formula uti conſueverint, viſum eſt Spiritui & nobis: Sæculo Apoſtolorum primum concilium, ut habetur Actor. 15. An adeo audaces & petulantes cenſebimus omnes illos doctores ſanctiſſimos, qui conciliis generalibus interfuerant, ut ſibi arbitratu ſuo & libidine Spiritus Sancti conſenſum arrogarint, ſed & Chriſtus Dominus de Spiritu ſuo ad fideles dixit: Ioan. 16. (Spiritus, inquit, veritatis docebit vos omnem veritatem,) at non docet per homines privatos infallibiliter: igitur per congregatos in Spiritu Epiſcopos, dices forte, hanc promiſſionem factam eſſe ſolis Apoſtolis: at Chriſtus Ioan. cap. 14. ait, Spiritum Sanctum manſurum eſſe cum Apoſtolis in æternum, non autem cum Apoſtolis in perſonis eorum in æternum manet, ſed in eorum etiam ſucceſſoribus. Præterea veſtra hæc locutio videtur eſſe verſipellis & apoſtata, & ad ſola effugia hæreticorum nata, quippe quod omnes, errores ab ictibus Catho-

licorum argumentorum eripere ſatagit. Dicet enim verbi gratia: Arrianam blasphemiam dicimus, ego ipſi objiciam Scripturæ teſtimonia, ille non ita intelligenda aſſeverabit, clamabo ita a Patribus, ita a conciliis intellecta eſſe, facile elabetur; dicit enim, non bene illa intellexiſſe, non conſonuiſſe Scripturæ, ſe ipſis morem non gerere, tunc geſtarum cum conſonuerint. Quæ ipſius reſponſio, ſi quid valeat, digitum jam oribus imponere debebimus & taciti abire, unde vobis cum quoque nihil hactenus egimus, cum oſtendimus ex Patribus, non ita ſupra adducta loca Scripturæ intelligenda de Sancto Spiritu eſſe, quemadmodum vos intelligitis: reſpondebis enim, Patres non conſonare hac in re Scripturæ. Fateor vero vos ſi talis ratio vobis eſt reſpondendi, nullam poſſe eſſe rationem vobiſcum diſputandi de Patribus: ergo nos quoque ita ſentimus, ut non omnino in eorum verba jurare oporteat, ſi quid unus aut alter, quod non eſt aliunde apertum, protulerit, ſed ſi omnes, at maximo numero aliquid doceant, non divinum quidem, ſed prope divinum vocamus oraculum: (locorum enim & temporum intervallis diviſi in mendacium conſpirare non poterant, neque unanimi conſenſu docere, niſi quæ per traditionem ab anteceſſoribus ſuis acceperant) Optime loquitur Adam Zernikaw. Concilia vero generalia legitime celebrata infallibilem & certiſſimam fidei eſſe regulam confitemur.

VI.

VI. Liturgiam nostram (quod sextum caput vestri est scripti) non frustra commendamus; est enim a S. Iacobo Apostolo, primo Episcopo Hierosolymitano composita, ut antiquissimi codices & omnium exemplarium concordia, & Patres veteres, *Germanus & Proclus Patriarchæ* Constantin. & omnium historicorum Theologorumque consensus comprobat, est tamen teste S. Proclo in brevi tractatu, de S. Liturgia breviata a D. Basilio M. & a D. Paulo brevior facta a D. Χρυσοςόμῳ Μαγίστρῳ Πρόκλῳ. Hæc Chrysostomi Liturgia in quotidiano usu nobis est, illa quæ dicitur Basilii I. in anno celebratur: Ipsam Iacobo autographam scilicet a Patriarcha Hierosolymitano celebrari in anno die festo S. Iacobi Apostoli, audivi, & in Leone Allatio quodam in loco legi. Credibile autem est, rationem hanc celebrandæ liturgiæ ab ipso Servatore didicisse Iacobum Apostolum, quod de vestra liturgia licet eam non sciam certo, qualis sit dicere forte potestis probare, tuto assevero, nunquam poteritis.

VII. Quantum attinet ad vestram a Pontifice Romano secessionem, habita fide narrationi vestræ de Martino Luthero non dicimus vel illum, vel vos cum illo ideo hæreseos aut schismatis reos esse, quod a papali Synagoga exieritis, sed quod ad nostram Ecclesiam non perveneritis, partim quod non ejurastis dogma de processione Spiritus Sancti a Filio, partim quod in alias novas hæreses incidistis, quarum a serio examine,

in præſentia abſtineo, quod eas peculiari tractatu, ſi Deus vires dederit, confutare polliceor. Hoc tantum dico: invocationem Sanctorum tam impudenter a veſtris Theologis vocari impiam, ut excuſare vos pertinaciæ prorſus impoſſibile; contra ſtimulum enim calcitratis, cum tot veterum teſtimoniis, quæ longum nimis eſſet recenſere, & univerſæ ſanctæ antiquitati hac in re conjurati reluctamini. Scripturæ etiam liquidiſſima ſunt documenta contra vos: Ierem. 15. ubi dicit Dominus (ſi ſteterint Moiſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad Populum iſtum.) Machabæorum Lib. 2. Cap. ultimo, ubi Iudas in viſione videt: Oniam Pontificem & Prophetam Ierem. vita jam functos orare pro populo Iudæorum Apocalyp. 15. ubi odoramenta, in Phialis 24. ſenium vocantur orationes Sanctorum, Apocalyp. 6. ubi animæ Martyrum petunt vindictam de ſuis interfectoribus. Orant ergo pro nobis Sancti: cur igitur non implorandi ſunt, ut orent pro ipſis, quod licere ne vos quoque initis inficias. Ergo & quidem eo magis & Sancti vita defuncti pro nobis orare poſſunt, & nos opem eorum implorare, & hoc argumentum nulli unquam, nec Reformati, nec Proteſtantes ne quidem ſpecietenus ſolvere potuere, nec unquam in æternum ullum ingenium poterit, ecquod enim acutius ingenium, quod judicium liquidius eſſe poterit, quam Marci Antonii de Dominis, ſupra laudati autoris: lege diligenter opera ipſius, & omnes recentiores Theologos comparatione ipſius pueros

ros apellabis, hic tamen autor cum prius Lib. 5. Cap. 8. numero 61. aſſeruiſſet, non debere invocari Sanctos Lib. poſtea 7. cap. 12. numero 12. retractat hanc opinionem innumerabilibus Patrum, quos plurimos ibidem recenſet, convictus teſtimoniis, ubi & hoc a paritate viventium, qui pro aliis viventibus intercedunt, argumentum ductum veluti inſolubile laudat & per hoc enervari dicit, quæ vulgo a nobis objicitur, Chriſto fieri injuriam, ſi SS. pro nobis intercedant, cur enim injuria non fit, dum vivi pro vivis orant, nihil contra hæc, afferri a nobis poteſt.

VIII. Quod vero conqueramini, inique vos annumerari a nobis inter aliquot hæreticos, Arrianos, Neſtorianos, & alios, cum vobis dicatis nihil commune cum illis eſſe, dicimus non noſtram de vobis exiſtimationem, ſed veſtram de vobis querimoniam eſſe iniquam, neque enim vos ita inter veteres hæreticos recenſemus, ut ſectam veſtram vel ad gregem Arrii vel ad Neſtorii cætum pertinere dicamus, ſed eo pacto, quo pavones verbi gratia, aut accipitres numeramus inter aves: non quod pavones de familia aquilarum aut ſtrutionum putemus eſſe, ſed quod illi cum hiſce & aliis in genere conveniunt, licet differant ſpecie, vobis etiam non eſt commune cum Arrio negare filium Dei æqualem Patri, non negatis enim, non eſt cum Neſtorio diuidere Chriſtum in duas perſonas, non enim dividitis, ita & de aliis quibusvis: hoc tamen cum omnibus hæreticis commune habetis, quod

& vos aliqua contra ſanam & orthodoxam doctrinam ſentiatis, & hoc eſt convenire in genere.

IX. Traditiones, quas appellatis peſtiferas, quæro an omnes omnino traditiones, hoc eſt omnes, quæcunque in Sacra Scriptura non leguntur ſententias, horrendo hoc titulo, quaſi Heliæ cultro confoditis? an vero aliquas tantum. Si tantum aliquas, quæſo quas? forte quæ non modo non ſunt ſcriptæ, ſed etiam ſcriptæ adverſantur: id & nos fatemur, quod ſi omnino omnes. Nam vos nimii Zelotæ eſtis, & ſub Heliæ indole æmulationem ſervatis non ſecundum ſcientiam, qualem non probat Paulus ad Rom. cap. 10. quid enim? Matrem Dei ſanctiſſimam poſt partum virginem remanſiſſe, ſcriptum ne eſt alicubi? & tamen non niſi inſanus & impius impietatis coarguit nos, qui eam ſemper Virginem cum omnibus omnium ſæculorum orthodoxis hominibus confitemur. Dices forte, id non debere de fide eſſe: alia hæc quæſtio eſt, quam in præſentia non vacat diſcutere: cæterum an peſtiferam hanc traditionem appellare audebitis? Mille alia poſſem proferre exempla: ſed unum hoc ſufficere videtur, ipſi quoque vos omnia, quæ in templis veſtris agitis & feritis, ex præſcripto SS. Litterarum habetis? ut certum ritum mortuos ſepeliendi: matrimonia benedicendi, qui ornatus deceat celebrantem ſacerdotem, qui geſtus, et alia. Sed audias Baſil. M. Lib. de Spiritu Sancto Cap. 29. loquentem: (Apoſtolicum, inquit, arbitror

tror eſſe etiam in non ſcriptis traditionibus perſeverare, laudo enim inquit vos.) Paulum citat ad Teſſal. 2. (quod omnia mea meminiſtis, et quemadmodum tradidi vobis traditiones continetis.) Ibidem multa myſtica citra Scripturam verſari inter Chriſtianos et recipi expreſſe dicit. Si ergo Baſilio hoc Apoſtolicum eſſe videtur, minus moramur, quod idem Luthero peſtiferum videatur. Scripturæ loca, a vobis contra traditiones allata, nihil huc faciunt, neque enim pro traditionibus habemus, quæcunque & cuicunque habere libuerit, ſed quæ ex hiſtoricis, & aliis ſcriptoribus ad veterem Eccleſiam, & ad ipſa usque Apoſtolorum tempora facile poſſunt revocari.

X. Quod vero dicatis miracula non eſſe ſigna veræ Eccleſiæ, id neque per omnia verum, neque per omnia falſum eſt, leguntur enim in hiſtoricis antiquis multa quædam apud hæreticos etiam mira facta, & præter, locum Auguſtini, a vobis adductum, habemus quoque aliorum Patrum non pauca documenta, quibus docent nos, non debere moveri ſemper viſis mirabilibus, ut Chryſoſtomus in multis locis, & Iuſtini Martyris, & Athenagoræ Philoſophi Chriſtiani, & aliorum, imo ipſius Chriſti unici ſupremi Magiſtri & Doctoris noſtri, qui multos ψευδοχρίστους, καὶ ψευδοπροφήτας magna & multa daturos ſigna, ad cautelam noſtram prædixit nobis. Non omnia ergo mira viſa ſunt ſigna veritatis, alia enim portenta ſunt Diaboli, alia licet ipſius Dei opera, ſed ad non confirmandam talem ſectam, verum vel ad innocentiam alicujus

oſtendendam, vel ad alicujus coarguendam iniquitatem, vel ad aliquod etiam dogma fidei, ſed non peculiare talis ſectæ, verum commune Catholicis comprobandum. Ejusmodi cenſetur illud fuiſſe miraculum, quod hiſtorici tradunt apud Arrianos olim contigiſſe, nimirum cum ad Baptismum adductus eſſet, qui jam fuerat baptiſatus, ter infuſa in concham aqua, ter ſpectantibus qui adſtabant, evanuit, quo ſigno non Arriana religio confirmabatur, ſed oſtendebatur, non placere Deo, ut Baptismus iteretur. Talia ergo miracula non ſunt nec poſſunt eſſe veræ Eccleſiæ ſigna, multo minus ſigna erunt Dæmonum præſtigia, aut figmenta hominum. At vero quæ mira edantur divinitus, quæ conſtet eſſe edita, ad exhibendum teſtimonium veritatis Eccleſiæ, illa utique quis negaverit ſigna eſſe. Addo tamen cautionem, ſi nimirum vel ultro nobis etiam non poſtulantibus fiant, vel quod maxime obſervandum cenſuerim, ſi magna præſertim publica fuerit eorum neceſſitas. Vnde Patres prohibent in negotio fidei provacari ad miracula, ſufficit enim nobis Scriptura S. ad confirmandam veritatem, & qui Scriptura contentus non eſſet, ille utique non inter hæreticos, ſed inter Ethnicos eſſet numerandus. Fieri tamen poteſt, ut cæcitati vel obſtinationi hominum ultro ſæpe miſericors Deus ſignis editis conſulere non dedignetur, tale eſt inter non pauca inſigne admodum Dei opus in Græca Eccleſia, & nulla in alia fieri ſolitum, quod ſi quis a Pontifice Orthodoxo anathemate percuſſus, vita exceſſerit, cada-

ver

ver eius non diſſolvatur in pulverem, ſed tetrum & nigrum ad inſtar Tympani inflatum jaceat, ſi vero contingat, vt idem vel alius antiſtes vinculo illo anathematis defunctum abſolvat, continuo cadaver quoque redit in cinerem. Habetur rei hujus publicæ Conſtantinopoli factum exemplum, ut ſcribitur in Turco-Græcia, ope Martini Cruſii veſtri hominis, edita, & Græcorum Euchologio a Gearo Dominicano Pariſiis edito. Nobis præterea domeſticum ſimile eſt, Vilnæ factum a piæ m. Petro Mohyla Metropolita Kiovienſi: & multa quæ alibi celebrantur. Per hoc vero quid aliud ſignificari voluit Deus, niſi eſſe in noſtra Eccleſia divinam illam ligandi & ſolvendi, poteſtatem, quæ non poteſt eſſe, niſi in vera & Orthodoxa Eccleſia: adeoque id comprobare miraculo, eſt veritatem religionis oſtendere, cæcis & obſtinatis ſectariis, vel ad ſalutem, vel ad majorem eorum condemnationem. Si videntes non viderint. Quod vero dicitis, plura eſſe in Latina lecta, quam in noſtra Eccleſia miracula, hoc aſſeritis, partim, quia rerum noſtrarum exiguam aut nullam habeatis cognitionem, partim, quia res pontificias non ſerio ſcrutamini, neque eorum dolos diligenter perveſtigetis. Nil apud ipſos antiquius aut magis familiare, quam miracula fingere. Vnde cum plurimi ad hanc artem ſeſe conferant, & eorum potiſſima pars ex leviculis, vanis, rudibus, & craſſis magiſtris conſtet, fit plerumque, vt ipſo inepto narrationis contextu, non poſſint non prodere fabellas ſuas nugatores nequiſſimi, contra decorum

corum peccant, nænias aniles canunt, multa etiam diuinitus fieri nequeunt, quæ balbutiendo efficiuntur, ſibi quoque non conſtantia, ſed contraria crepant, mendaces ſunt & immemores. An tu viſa fabellarum per libros & capita ab iisdem diſpoſita, veras eſſe Apocalypſes? legite quoque & legetis cum voluptate ingens illud & plenum Spectrorum plauſtrum, Scriptum inquam, de miraculis Hieronymi, ſub nomine Cyrilli Hieroſolymitani editum, quod operibus Hieronymi annexum eſt; & ſi poteſtis, ad ſpectatum admiſſi, riſum teneatis amici. Magno ego numero collectas habeo nugas ejusmodi. Non inficias autem, multa quoque non ficta quidem, cæterum a Diabolo facta, quæ ipſis Dei miracula videntur, celebrari apud eos, quod quidem facile oſtendi poteſt. Sed de Latinorum miraculis ſingulare opuſculum edere in animo eſt, ſi Dominus voluerit, & ſi vixerimus. Opere pretium eſt, unum hic adducere: Romæ tempore Innocentii X. Monachus neſcio quis Servita Theologiæ Profeſſor in publicis diſputationibus produxerat puerum ſeptennem diſcipulum, ut ajebat ſuum, qui ad ſtuporem omnium magno doctorum concurſu theſes Theologicas, dicto Papæ dedicatas, defendit, ita ut famoſiſſimi diſputatores nihil ipſi negotii faceſſere potuerint, brevi conſtitit, factum hoc eſſe ope Diaboli, puerum ne unam quidam literam cognoviſſe & miſer ille magiſter, cum videret, ſe ad vincula rapiendum, de feneſtra, ſe ipſum egit præcipitem. Hoc Romæ notum eſſe,

lip-

lippis & tonsoribus. Kwiatkiewicz tamen Iesuita Polonus, in additamento Historiarum Baronii nuper Polonice a se edito, ad finem Operis, postquam narravit eandem istam Historiam, subjicit divinum hoc fuisse miraculum, & pro tali Romæ habitum. Vide hinc, quæ fides sit habenda mirabilioribus eorum narratiunculis. Nostra autem Ecclesia non pauciora vera habet, quam Latinorum falsa miracula: Innumerabiles per magnam & parvam Rossiam viros S. in vita & post obitum miraculis illustres. Neque est cui objicias, nostra quoque conficta esse, id enim probari debet, quemadmodum miracula Pontificiorum plurima falsitatis facile est convincere. Præterea non est, cur vanitates eiusmodi affectemus? Latini autem, præsertim Monachi, incredibili æmulatione de laudibus suæ quisque professionis certantes, coguntur miseri & sanctos & eorum miracula fingere, ut habeant, quod stupidæ plebeculæ ad venerandam admirationem ostentent: quod ab Ecclesia nostra longe abest, ut planum cuique est.

XI. Miracula quæ Pater Michael vobis nominaverat, immerito a vobis exsibilantur. Licet non tantopere iis gloriamur. Cum ut hactenus patuit, non deesse notas, quibus Ecclesiam nostram veram esse etiam extra talia signa demonstremus. Quæ feruntur de igne Hierosolymitano penes Narratores sit fides, Leo tamen Allatius in libello de opinionibus Græcorum adducit idoneos Autores, ignem illum eo, quo etiam nunc fertur modo, antea accendi solitum fuisse, testan-

tes

tes. Ridicula porro objectio est, quod si Turcæ ignis istius mirabilem excitationem certo comperissent, jam omnes hactenus religionem nostram suscepissent. An enim Pharao non vidit miracula pro populo Dei, palam a Deo fieri, tamen tot tantisque stupendis & tremendis prodigiis, parum aut nihil commotus est, ut taceam innumerabilia hujusmodi. Inique etiam miram Ecclesiæ Peczariensis erectionem contemnitis, cum nihil in ipsa indecorum, & incongruum possetis arguere, multa in veteri quoque Ecclesia per visiones, & apparationes Angelorum aut Sanctorum sensibiliter fieri jussa, & facta sunt; ut templum S. Michaelis in oppido Chonensi. Templum sanctiss. Dei Matris Constantinopoli ad fontem. Lege Nicephorum Callistum Lib. 8. Historiarum Cap. 4. & Lib. 15. Cap. 25. cui denique ignotum est, ipsam illam Romæ æmulam novam Romam Constantinopolim cælesti monito conditam esse, loco etiam ubi conderetur perdivinitus ostenso. Cum ergo Nestor S. Roxolanæ historiæ scriptor prodiderat mira quædam, cum Basilica Peczariensis erigeretur, contigisse, & inter alia B. Dei Genitricem apparuisse quasi Reginam quandam architectis Constantinopoli, eosque Kijoviam ad moliendum opus misisse, quid quæso, ridiculum, & insolens videtis? Autor hic quam integræ fidei fuerit, testatur etiam nunc integritate per tot sæcula non corrupti S. sui corporis: venite & videte. Venerat & admiratus erat vester homo Ioannes Herbinius, ut ipse testatur

in

in libello, de cryptis Kijovienſibus, fruſtra ergo hæ narrationes Lutheranis auribus non arrident.

XII. Concludamus ab eiusdem commendatione rei, quam vos quoque in fine ſcripti veſtri nominatis. Licet non eodem affectu excitabat vos in ſua exempla ad charitatem Chriſtianam Pater Michael, quo vos illum charitatis expertem eſſe dicitis, quam juſte, vos videritis, mihi quidem non videtur charitatis expers eſſe, qui alios invitat ad mutuam charitatem. Invitare enim ad charitatem, magna charitas eſt. Ad eorum inquiunt conceſſit partem, qui omnes, non ita, uti ipſi credunt, ſentientes Chriſtianorum nomine indignos eſſe putant. Deſinite quæſo aliquando ita de nobis conqueri, multos enim ex veſtris idem ingeminare non ſine admiratione toties audio. An enim juſtum putatis, ut eos, qui doctrinæ Chriſti non per omnia obſequuntur, atque adeo ipſi Chriſto fidem derogant, veros vocemus Chriſtianos? Dicetis vos per omnia parere & obſequi Chriſti Evangelio; ſed hoc nobis non probatis: donec ergo aut hoc liquido non oſtenderitis, aut noſtræ non adhæreretis Eccleſiæ, non ægre interim feratis, Chriſtianum a nobis titulum vobis non deferri. Ipſi vos etiam Rom. Pontificem non Chriſtianum, credo, vocatis, cum dicitis eſſe Antichriſtum. Neſcio utrum alias quoque ſectas vobis contrarias ſingulas Chriſti congregationes appellare dignemini? Sed nimirum hoc eſt, quod antea etiam adverti velle vos, Dei Eccleſiam etiam ex diſcordibus, ſecum pugnantibus membris conflari,

hoc

hoc tamen eſt chimeras cudere. Nos vero diviniſſimi Pauli inſtructi præcepto, nunquam eos, qui aliud quam quod a Chriſto & Apoſtolis accepimus, ad nos afferunt, vocabimus Chriſtianos, imo Angelum quoque, ſi illis contraria dixerit, anathemate ferimus. Quæ igitur vobis in re tribui, & deberi ſcimus, nequaquam derogamus: dicimus vos homines eſſe divites, potentes, doctos, variarum artium peritiſſimos, bonos etiam viros, bonos homines, veros autem Chriſtianos, donec quidem hæc durabit inter nos diſſenſio, quod pace veſtra ſit, apellare non audemus. Scimus etiam nomine piæ & apertæ ſimplicitatis Germanam nationem inter alias commendari, ſi ita eſt, perpendite quæſo, ſimplici & non fucato corde, depoſito affectu partium, amore ſuorum, odio aliorum abjecto pruritu, innatæ perſuaſionis & docendi invidia, & diſcendi verecundia conculcata omnibus aliis amotis, quæ in veritatis inveſtigatione nebulam quandam, aut caliginem affundere ſolent, perpendite inquam, & conſiderate, an aliquid in Divinis litteris inveniatur, quod proceſſionem Spiritus S. ex Filio doceat, an ſint aliqua Patrum ſincera pro vobis teſtimonia, an denique non liquido demonſtret, corrupta plurima eſſe, author tractatuum, quos vobis mittimus? Ita & reliqua quæ hic ſcripſimus examinate, nobisque, ſi ita fuerit viſum, ſincero itidem animo ſignificare ne gravemini: Et hoc erit maximum nobis & luculentiſſimum de candore & ſimplicitate veſtra teſtimonium.

APO-

APOLOGIA
SACRARVM RELIQVIARVM
PATRVM NOSTRORVM,

qui

post suum obitum

in Cryptis nostris Kioviensibus

quieverunt Lypsanorum.

Quod scilicet hæ

Divina supernaturali virtute dotem integritatis sortita incorrupta servantur;

Non vero naturaliter, vel arte quadam, (ut hostes Ecclesiæ Orthodoxæ Orientalis, in primis Romanenses calumniantur) humana a putredine defensa, integra permanent.

QVAESTIO VNICA

Vtrum naturali alicui causæ tribuenda sit integritas Corporum Sanctorum, quæ in Cryptis nostris Kijoviensibus sunt Lipsanorum? ubi per Occasionem etiam de tumentibus Cadaveribus anathemate percussorum.

Rerum vicissitudinem lustrantes, & quasi obambulando, universa fluere atque interire mirantes, en incidimus in longe splendidissimum, & quod totus orbis merito suspiciat, atque stupeat spectaculum, in Kijoviam subterraneam, in cryptas & speluncas cælo ipso illustriores, in quibus majus aliquid, & nobilius, quam quod natura ferre possit, admirando veneramur: Sancta nempe Patrum nostrorum corpora. Extra periculum pugnantis secum naturæ posita, a legibus corruptionis exemta, tota, integra, nec tot sæculorum cursu peracto ullam noxam, ullum perpessa vitium. Quod quidem miraculum quis, quæso, non Philosophus modo, & qui rerum mutationes ex causis repetere studet, sed quis etiam agrestissimus, modo ne sit pecude stupidior, quis inquam hoc naturæ viribus audeat aut possit tribuere? Muros solidissimos tempori non resistere, saxa a carie, ferrum a rubigine defendere sese

non posse scimus, & dicemus humanam carnem, qua nihil fluxum magis est, naturali quadam vi tamdiu a putredine se vindicasse, atque etiamnum vindicare. Osores tamen Orthodoxæ nostræ Ecclesiæ, præsertim qui Romano Papæ sacros se se faciunt, lippientes vel cæcutientes ob invidiam non vident rem adeo conspicuam; seu potius videntes non vident, seque videre negant. Divinam namque integritatem istam nihil in se Divini habere, sed mere naturalem esse contendunt. Quare cum ipsis nobis erit hic controversia. Afferam rationes ex parte ipsorum, non modo quas vulgo objiciunt, sed etiam quas possunt objicere, easque in duplicem classem distribuam, quarum aliæ mere physicæ, aliæ partim historicæ, partim Theologicæ sunt. Nam licet ex historiis aut sacris oraculis disputare non sit munus & officium Philosophi, licet tamen obiter id facere, hic præsertim, ubi res ipsa postulat, ne quid relinquatur, quod animum sollicitare possit. Per occasionem autem dicemus aliqua etiam de cadaveribus anathemate percussorum, quæ itidem integra esse, & tumida dicuntur.

CAP.

* *

C A P. I.

SOLVVNTVR ARGVMENTA PHYSICA, QVAE LATINI CONTRA INTEGRITATEM CORPORVM SS. IN CRYPTIS OBIICIVNT, VEL OBIICERE POSSVNT.

Sciendum autem inprimis eſt, omnia phyſica argumenta, quæ vel objiciuntur, vel objici poſſunt, nihil afferre, quod aliquam ſaltem præ ſe ferat ſpeciem certitudinis, imo nihil omnino ipſa aſſerere, dico ex potentia ad actum argumentari; omnia enim hoc modo fere loquuntur: potuerunt iſta corpora hac vel illa ratione naturali a putredine defendi, ergo non divinitus defenſa ſunt. Quam vitioſam argumentationem eſſe non dubitat, qui vel a limine logicam ſalutavit. Quia tamen nihil temere ad extraordinariam Dei actionem trahere licet, niſi quod undequaque proſpicimus, non poſſe id tribui ordinariæ, idcirco ratione materiæ robur eis ineſſe vel maximum, non negaverim, ſi ſufficiente ſolutione non diluentur a nobis.

Argumentum I.

Primum ergo quod objiciunt eſt: Integritatem eam loci naturæ tribuendam: Locum Cryptarum Kijovienſium eſſe conſervativum, & juvemus ultro ipſi hoc argumentum: ne quis enim neget, poſſe talem locum usquam reperiri, ſcribit

Ioannes Zahm in Speculo mundi ſcrutinio 4. Geocoſmico Cap. 5. ex Zourniero: in inſulis dictis Arran prope oram maritimam Connachiæ non putreſcere hominum cadavera, & plerosque habere ſuos avos, atque atavos; mures quoque nullos eſſe, & aliunde allatos dare ſe præcipites in mare, aut ſi impediantur mori, quod ſignum eſt loci, hoc eſt terræ & aeris naturam putredini non eſſe obnoxiam; mures enim ex putri naſci ſolent & putria incolunt. Reſpondeo ad hoc primo: quidem videri omnino negandum eſſe, dari aliquem locum conſervativum maxime cadaverum, & narrationem de inſulis Arran ad fabulas relegendam, explicari enim prorſus non poteſt, qui ſolius loci beneficio fieri id poſſit, quod multis medicamentis, maximo negotio & cura hominum, ægre obtineri queat, ſed ne id quidem in perpetuum. Relicta tamen penes autorem fide dicendum omnino eſt locum illum conſervare cadavera ad aliquod tempus, ad multos etiam (ut ſimus liberales) annos, ſed non ad multa ſæcula, alioqui nullum ſpacium hactenus relinqueretur non modo ſepeliendis, ſed ne in cumulos quidem congerendis cadaveribus. Omnia cadaverum plena eſſent, non ſilvæ, non ſegetes, denique non ipſi homines haberent locum. *Dices:* fortaſſe combuſtione amoveri tale incommodum. Reſp. cur igitur avos & atavos conſervant: licet id forſitan nonnullis, ſed non omnibus: ibimusque iam ad leges Arranenſes edi-

ediſcendas, ne tamen moremur vbi nullum detinet negotium, omittamus inſulas, & argumento longum iter minanti breviter reſpondeamus: locum Kijovienſem non eſſe conſervativum: quod iis tantum probandum eſſet: ſi qui in luna degerent, nec habere conſervandi facultatem Cryptas ipſas, videmus enim in iisdem aliquot oſſium ſtrues; quae cum aliorum tum eorum potiſſimum dicuntur hominum, qui in expugnatione Kijoviæ a Bathi Tartaro facta, metu in cryptas compulſi obſtructique aut tumultu oppreſſi & ſuffocati interiere. Quin Sanctorum quorundam reſoluta ſunt corpora, quod aliter de ipſis viſum ſit providentiæ Divinæ, id, quod vel ipſa teſtantur ſancta crania, de quibus inferius dicemus. Præterea, ſi locus iſta corpora conſervaret, elata ergo in liberum aerem ſolverentur; efferuntur autem, nec ſolvuntur: quin parvæ etiam partes abſciſſæ ad pios uſus piis donari ſolent, quæ vel ob ipſam exilitatem facilius ſolverentur: parva enim minus, quam grandia reſiſtunt putredini, ut ſupra dictum eſt alibi. Denique ſi quæ eſſet in cryptis conſervandi vis, non valeret certe per annos ſeptingentos conſervare: nec ipſa vigere hactenus poſſet, patentibus indies Cryptis, multaque populorum vi frequentibus. Hoc igitur argumentum nihil nobis officit, ſed inſuper autores ſuos magnæ temeritatis & inſoliti ſtuporis arguit: temeritatis, quia non facta experientia audent id opponere, & brevior, cre-

do via Kijoviam eſt, quam ad inſulas Arran, aut in Ægyptum. (Nam & illic conſervativa ſpatia ſomniant ſed ruditer ut infra). Stuporis autem, quia multi eorum in cryptas veniunt & vident omnia, quæ nos videmus, aliter tamen, quam vident, habere ſe loci naturam ſuſpicantur.

Argumentum II.

Alterum eſt, quod quidem non objiciunt, poſſunt tamen objicere, & priori prorſus ſimile. Eſſe quandam in locis quibusdam, in quibusdam autem contingere vim lapidificam ſeu indurantem corpora & in lapides convertentem, quam ex chimicis elementis explicat Daniel Sennertus Lib. de Principiis Chimicis Cap. 2. numero 39. & inferius, dicitque in Britannia ad Avernum eſſe ſpeluncam, in quam quicquid aquarum influit coagulatur in lapidem, & ex Aventino, quem citat, refert, ibidem anno 1343. ex terræ motu plures quam quinquaginta ruſticos, item mulgentes cum vaccis extinctos diriguiſſe, & corpora cum Spiritu terreno in ſalinas ſtatuas redacta fuiſſe: ibidemque ex aliis narrat pollere hujusmodi facultate meridionalem auram in montanis Chilenſis provinciæ, in America, certis anni temporibus flantem: cuius quidem flatu integræ equitum turmæ velut in ſtatuas lapideas repente obriguerint ſteterintque in via eo aciei ordine, quo ante metamorphoſin adhuc vivi iter fecerant. Hic ſuſpicari adverſariis licebit lapidificam ejusmodi tam in cryptis noſtris vigere atque

que ejus potentia durata esse corpora Monachorum & a solutione defensa. Hoc argumentum si cui valere aliquid videbitur, timebit profecto, sese conferre in cryptas, ne in statuam convertatur. Respondemus ergo ad hoc, dicendo ea fere omnia, quæ diximus ad prius, nam si perpetuo vivit hic Spiritus ille lapidificus, cur quæso, non omnia in lapides convertuntur: cur plurimi homines resoluti sunt, neque hospites, quantum quidem scio, mutantur in lapides. Quod si vero contingit hic & præsertim intra ipsas cryptas vis ejusmodi, miror prius quomodo non alias, nisi dum aliquis Patrum nostrûm animam ageret contingere potuit, semperque in mortem alicujus incidit: Neque enim omnes simul extincti sunt. Deinde vel dum cryptas foderent vel mortui jam illati & compositi diriguere. Si primum, quomodo non ut varia agebant, ita in vario gestu & actu corporis ab illa vi lapidifica deprehensi & revincti sunt. Sed quasi providerent id sibi imminere modo omnes eodem, ut decet, se se composuerunt. Si secundum, cur ergo antequam pestis ejusmodi ingruisset, non computruere? Si dicas absque longa mora & statim post obitum cujusque lapidescentia illam contingere solitam, licet dices falsissimum, non admodum tamen tecum pugnavero: Nam si hoc esset, nemo utique naturæ tribuere id auderet, quae non habet neque habere potest, ceu expers rationis huiusmodi legem, ut vel huius vel alte-

rius hominis mortem obſervet, occurrensque putrefactioni cadaveris illius, exhalet ſpiritum lapidificum: quare hoc extraordinariæ virtuti divinæ referri acceptum oportet, non viribus naturæ; nec refert, qua arte Deus SS. corpora integra conſervet, modo conſervet. Solum quæſtio eſt, an id fiat ordinario naturæ curſu. Sed quid in nugis confutandis immoramur. Nec Spiritum lapidificum ullo apud nos loco eſſe vel contingere (id quod notum eſt lippis & tonſoribus) nec corpora Patrum ſalinas aut lapideas eſſe ſtatuas, quisquam dicet, niſi ipſe ſtatua ſit.

Argumentum III.

Tertium quod frequenter libenterque uſurpant, & vulgo jactitant, eſt: non putreſcere patrum, inquiunt, corpora, quod balſamo aliisque aromatis delibuta fuerint, creduntque ea curata fuiſſe illo vel ſimili artificio, quo antiqui Aegyptii, ut plurimi ſcribunt, ſua cadavera curabant: Illi enim cadaver, vita functi hominis ejectis inteſtinis varie maceratum, ſiccatum, tractatum (de quo mox planius dicemus) aromatibus imbuebant, & bene occluſum terræ mandabant, quæ quidem cadavera hactenus adhuc conſervari integra dicuntur, & a multis medicis emi ex iisque medicamenta quædam confici, vulgo Mumias vocant, ad hunc modum corpora Kijovienſium Patrum defenſa eſſe a putredine, quod ut oſtendam vaniſſimum falſiſſimumque, nihil aliud, niſi ipſum illud Aegyptiorum artificium, quo curabant cadave-

davera, referam ex Herodoto antiquissimo historico, qui Lib. 2. ita de Aegyptiorum exequiis & de cura cadaverum subjicit.

Narratio Herodoti de sepultura Aegyptiorum.

Luctus, inquit, eorundem ac sepulturæ tales sunt: Quibuscunque aliquis ex domesticis decessit, homo alicujus momenti, ibi omnes fæminæ illius familiæ caput sibi & vultum oblinunt luto, deinde, relicto domi cadavere, ipsæ per urbem vagantes se plangunt, succinctæ, nudatis mamillis & cum eis proximæ quæque. Altera ex parte viri & ipsi expectorati se verberant. His actis ita ad condiendum portant. Sunt autem certi ad hoc artificium constituti, qui hoc ipsum factitant, qui cum ad ipsos cadaver portatum est ostendunt, iis qui portarunt, exemplaria mortuorum lignea pingendo assimilata. Et eorum unum fabrefactum accuratissime esse ajunt, (cujus ego numen si nuncupavero haud faciam sancte) alterum illo inferius ac vilioris pretii ; tertium vilissimi, quibus expositis sciscitantur ab iis, ad quod exemplum velint effingi mortuum suum? isti ubi de pretio convenerint, illinc abeunt. At hi relicti in ædibus hunc in modum diligentissime condiunt corpus. Ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt, ut quamque partem educentes, ita locum eius medicamentis explentes. Dehinc acutissimo lapide

Aethio-

Aethiopico circa ilia conſcindunt, atque illac omnem alvum protrahunt, quam ubi repurgarunt, ac vino palmeo eluerunt, rurſus odoribus contuſis proluunt: tum alvum complentes contuſa myrrha pura & caſia & aliis (excepto thure) odoribus, item conſuunt, ubi hæc fecere ſaliunt nitro abditum ſeptuaginta dies, nam diutius ſalire non licet. Exactis ſeptuaginta diebus cadaver ubi abluerunt, ſyndone byſſina totum inciſis loris involvunt, gummi illinentes, quo Aegyptii glutinis loco plerumque ûtuntur. Eo deinde recepto propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in quam mox inſerunt mortuum incluſumque ita reponunt. Eos autem qui mediocria volunt, nimium fugientes ſumptum, ita apparant. Cliſterem ungvine, quod e cedro gignitur, complent, deinde ex hoc alvum mortui, ipſam neque ſcindentes, neque extrahentes, ſed per ſeceſſum prehenſo viæ poſterioris hiatu, infertiunt, & tot, quot dictum, diebus ſale condiunt, quorum dierum ultimo cedrinum unguem, quod prius ingeſſerant ex alvo egerunt, quod tantam vim habet, ut una ſecum alvum atque inteſtina tabefactata educat. Nitrum autem carnes labefacit, mortuique tantum cutis & oſſa relinquuntur. Ubi ita fecere, ex quo ſic tradidere mortuum, nihil amplius negotii ſuſcipiunt. Tertia conditura hæc eſt, qua adornantur eorum mortui, qui tenuiore ſunt fortuna, ablutionibus ventrem abſtergunt arefaciuntque ſale 20. per dies, deinde tradunt reportandum.

dum. Hactenus Herodotus. Quam vanitatem peperit Aegyptiis ſtolida ſapientia, cum enim Pythagoras doceret vel Metempſychoſin, id eſt transmigrationem animarum ex uno in aliud corpus migrantium, ut Ovidius Metamorphoſeon 15. & alii paſſim teſtantur, vel Palingeneſian, id eſt, reditum animæ ad priſtinum corpus, & quaſi alteram generationem, ut ſcribit Servius Grammaticus commentario in Lib. 3. Aeneid. tex. 6. vel quod verius eſt utrumque, ſed ita, ut diceret, animam emiſſam e corpore primo tranſire in avem v. g. deinde ex ave in piſcem, ex piſce in bovem &c. & poſt parvum vel magnum tempus iterum in hominem redire, quod et Plato docebat. Stoici tertiam finxerunt opinionem, nimirum tamdiu durare animam & a corpore non recedere, quamdiu durat & corpus. Idemque Aegyptii ſomniabant, a quibus etiam Stoici accepiſſe videntur. (Unde inquit Servius loco citato Aegyptii periti ſapientia condita diutius ſervant cadavera, ſcilicet ut anima, multo tempore perduret & corpori ſit obnoxia, nec cito ad alia tranſeat. Romani contra faciebant comburentes cadavera, ut ſtatim anima in generalitatem, id eſt in ſuam naturam rediret.) Et id ipſum ſignificare dicit Servius, animam ſepulchro condere ut eſt apud Virgilium Lib. et loco citato, id eſt animam cadaveri quaſi alligare ne recedat ab ipſo, non ſola enim requirebatur cadaveris integritas, verum etiam ſuperſtitioſa ſepultura cum ſacrificiis: qui-

bus

bus omiſſis animæ vagæ errabant, nec dignabatur eas Charon per Stygem vehere, ut patet apud Virg. Lib. 6. Aeneid. ubi interroganti Sybillam Aeneæ, quo diſcrimine ripas hæ linquunt, illæ remis vada livida verrunt. Reſpondet Sybilla:

Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba eſt;
Portitor ille Charon, hi, quos vehit unda, ſepulti.

Peractis autem rite ſacrificiis, quæ fiebant effuſione lactis & ſanguinis, quod poſt conjunctionem animæ lacte corpus nutritur, & ſanguis perpetuum alimentum eſt: anima redit ad cadaver, asſidetque ei donec integrum fuerit, quo ſoluto avolat ad ripas ſtygias, & facilem trajectionem nanciſcitur, hoc cum alibi tum Lib. 3. Aeneid. innuit Virg. loquens in perſona Aeneæ de Polidori ſepultura.

Inferimus tepido ſpumantia Cymbia lacte
Sanguinis & ſacri pateras, animamque ſepulchro
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

Hæc de cadaveribus Aegyptiis, eorumque ſuperſtitione amplius, quam pro ſubjecti argumenti neceſſitate diximus, quod non vulgaris eruditio videtur eſſe. Nunc jam ad objectionem ſolvendam accedamus, & primo ſiquidem Mumias Aegyptias, quæ modo reperiri dicuntur, non eſſe vera illa antiqua Aegyptiorum cadavera ſcribit ex aliis autoribus magni Theatri vitæ humanæ: ſed eſſe cadavera hominum in petroſa Arabia vento ſicco & arena peremptorum, quem ventum credibile eſt

eſt pollere vi lapidifica, ſed non perfecta; pridem reperta eſſe circa pyramides aliquot cadavera omnino integra, quæ conſtabat ſepulta eſſe eo adhuc tempore, cum Iſidi, antiquiſſimæ Deæ Aegyptiæ, ſacra fierent, conſtabat enim ex quibusdam imagunculis cadaveri incluſis. Hinc dicendum eſt, cadavera Aegyptiorum maximis impenſis curata hactenus conſervari potuiſſe: mediocribus autem aut ad infimum, ut videmus in Herodoto exemplum efficta diu non potuiſſe durare, ſed brevi computruiſſe: ſed & pretioſa, quæ rara forte fuerant non omnia, verum vix aliqua perſeveraſſe, illa videlicet, quæ præter accuratiſſimam effictionem ſumma diligentia undique occludebantur; quædam enim etiam aureis laminis involvi ſolebant, ut citatus M. Theatri autor teſtatur. Verum et talia eatenus durare poſſunt, donec in liberum aerem non efferebantur, ſed bene occluſa maneant, id quod patuit ex cadavere Romæ ante aliquot ætates reperto in via Appia, e regione ſepulchri M. T. Ciceronis, quod Filiæ ipſius Tulliolæ fuiſſe creditur, erat autem ut autor, ex Lælii Lib. 3. cap. 24. ſcripſit, integrum undequaque & incorruptum, ſed delatum in urbem tridui mora computruit medicamine amoto vel vitiato. Si ergo conceſſerimus, corpora Patrum Kijovienſium omni ea opera curata & maximis impenſis, nec minore diligentia quam forte ipſi muniebantur Reges Aegyptii, munita et occluſa ab initio, cum tamen jam aperta nemo

mo non videat, hominumque oculis expoſita, quibus centies per diem excipi videmus, quis quæſo obſtinatus et durus adeo fuerit, ut conſervationem huiusmodi humano artificio, curæ diligentiæ virtutique aromatum accepta referat. Sed certum eſt, nunquam hæc corpora incluſa fuiſſe, ut conſtat ex antiquis hiſtoriis: nec obſtat, quod forte ingruente aliqua calamitate oſtia Cryptarum obſtructa fuerint, nam neque temporaria obſtructio quidquam valet contra vim naturæ, ſed tantum contra violentiam humanam, & non communis, ſed propria requiritur occluſio, quæ ſcilicet undique ambiat, & tangat corpus, ut patuit ex ligneis ſtatuis, quibus cadavera includebantur referente Herodoto. Quis item velit credere fuiſſe aliquando Kijoviæ & floruiſſe artem curandi cadavera Aegyptiæ non abſimilem, & ſi fuit, cur tacetur ab hiſtoricis. Certe vel illa ipſa celebrem feciſſent civitatem: aut cur artifices illi non ducum potius aut Principum, ſed pauperum hominum (erat enim ea tempeſtate Peczarienſe Monaſterium inops admodum) corporibus curandis operam collocarunt. Qui autem fieri potuerit, ut qui vix habebant, quo famem ſolarentur, & ſæpe frumenti oleique penuria laborabant, ut patet ex vita ſancti Theodoſii aliorumque, ii abunde haberent, quo maximam pretioſorum diverſorumque aromatum copiam mercarentur & ex longiſſimis regionibus ingentibus plauſtris conveherent. Siquidem Herodo-

tus

tus magnam odorum copiam innuit cum de Mirrha, Caſſia, & aliis dicens, ſolam thus excipit. Ex recentioribus vero Medicis Ioannes Baptiſta Porta Neapolitanus Lib. 4. Magiæ naturalis Cap. 15. ad hoc, ut cadavera non perpetuo, ſed diu durare poſſint, præter varios labores & operas multas requirit odoriferas materias, & nominatim Myrrhum, laurum, rorem marinum, alumen combuſtum, myrham, aloen, & lignum Aloes, oleum ſpicæ, nardi, theriacam, ſerraturam cupreſſi, crocum ſiccatum, ſemina Coloquintidis, Antimonium in pulverem redactum, Moſchum, Ambaram &c. Hæc qui minus pretioſa & etiam pauperibus facile parabilia eſſe putat, næ ille absque naribus eſt, et nomine aromati fimum & fœnum intelligit. Tantum ergo abeſt, ut aromatica hæc abjectio noceat ſanctæ Patrum noſtrorum integritati, ut potius illuſtriorem magisque admirandam reddat, & divinam eſſe teſtetur. Licet enim omnino ita argumentari ad hoc, ut cadavera diu durare integra poſſint, tantæ artes & labores, tanta rerum pretioſiſſimarum copia requiritur, ergo corpora patrum non humana ſed divina ope integra hactenus conſervata ſunt.

Argumentum IV.

Blaterant etiam paſſim, quod quartum ſit eorum argumentum, Kijovienſium Patrum corpora exſiccata eſſe, & ideo non putrefieri. Quod ſi qui vel modice gnari corruptionis noſtræ dicunt, non video, qua fronte dicant, ſi rudes penitus & ignari iis primo exponenda eſt ratio curandi ca-

davera ab Aegytiis aliisque ſervata, tum interrogandi ſunt, quorſum tot artificia & tanti ſumtus, ſi ſola exſiccatione res obtineri queat. Præterea, ſi fieri poteſt, ut caro exſiccetur, non quidem diffluet, ut cætera cadavera, ſed tamen brevi in pulverem & cinerem abibit, ſed & ſiccæ res in loco humido qualis eſt Cryptarum, ſenſim madefiunt, ſitum & ſqualorem contrahunt, & corrumpuntur, id quod in chartis patet, quibus tamen propter tenuitatem & ſpiſſitudinem maxime a putrefactione cautum eſt.

Argumentum V.

Poſſunt quinto objicere, ideo non putrefieri hæc corpora, quia homines iſti, dum viverent, vehementi inedia ſeſe macerarunt, & prope enecarunt, victus enim parſimonia multum ad hujusmodi integritatem facere videtur. Refert enim auctorM.Theatri exMarcellino,Perſarum cadavera inareſcere veluti ſtipites, et aliquando poſt confectum cum Romanis prælium, Romanorum corpora brevi putrefacta, Perſarum autem integra, ſed arida reperta eſſe, eaque integritas parcitati vitæ, quam per ſe habebant, adſcripta fuit, ſicuti putrefactio, Romanorum ingluviem & gulam eorum teſtabantur. Huc facit quod Xenophon in Pædia ſcripſit, Perſas ob victus temperantiam, nec tuſſire nec emungi. Ad hoc Reſpondeo: non eundo quidem inficias conferre aliquid ad integritatem cadaveris parcum in vita cibum, ſed tamen parum admodum conferre, & hoc ſolummodo, ut maceratum jejunio corpus

diu-

diutius paulo integrum conſervetur poſt mortem, quam pingue & craſſum, non vero ut per plures annos aut ſæcula duret. Id quod unicuique manifeſtum eſt. Nec dicendum eſt, Perſarum corpora, quia brevi poſt prælium ſicca & integra reperta ſunt, ideo perpetuo duraviſſe & durare, alioqui enim non haberent, ut mortuos ſuos ſepelirent. (ſepelire enim non cremare mos erat Perſis, ut infra dicemus.) Nam ſi Romani ideo ad combuſtionem venerunt, volueruntque cremari ſuorum corpora, quia longinquis bellis vexati animadverterunt ſepulturæ jam traditos denuo erui, ut refert ex Plutarcho & Plinio Iunius Melchior politicarum quæſtionum parte 3. Quæſt. 111. quorum tamen corpora cito putrefieri, ceu pinguia & obeſa neceſſe erat, multo minus Perſis caperet civium ſuorum cadavera, ſi integra & putredini non obnoxia eſſent. Sed & Perſarum nonnulli vita functos cera illinebant & domi ſervabant, ut teſtatur Alexander ab Alexandro Lib. 3. cap. 2. non eſſet autem opus cera illinere, aut alia quapiam arte a corruptione defendere, ſi non putrefierent.

Argumentum VI.

Facta autem ceræ hujus Perſicæ mentione nova objectio fieri poteſt: Nimirum potuiſſe corpora Patrum Kijovienſium facili & parabili modo a corruptione reſervari, absque illa videlicet pretioſa Aegyptia curatione, nempe ſola cera illini, quemadmodum illinebant Perſæ, aut etiam illini melle, nam & M. Alexandri cadaver

melle fuiſſe illitum, ideoque putredini non obnoxium, quod mel a corruptione conſervet, ſcripſit Plin. Lib. 22. Reſpondeo, Perſas quidem terræ mandare & ſepelire ſuorum cadavera fuiſſe ſolitos; id quod Lucianus teſtatur, ſcribens de luctu, ut breviter variarum gentium varia funera enumeret, (Græcus inquit exurit, Perſa defodit, Indus adipe ſuillo oblinit, Scytha devorat, Aegyptus muria condit &c.) Quod ergo dicebat Alexander ab Alexandro Perſas ſuorum cadavera cera illinere ſolitos, id vel de aliquibus eorum tantum, vel de omnibus quidem verum erit, ſed ita, ut paululum domi detenta, terræ poſteà mandarentur; falſum enim omnino conſtat experientia poſſe cadaver cera illitum diu a putredine defendi, cum & cera ipſa ſenſim evaneſcat. Rationem item cur Perſæ noluerint cremare mortuos, reddit idem Alexander loco citato, quod videlicet nefas putarent ignem, quem pro Deo colebant, cadavera attingere. Atqui ſi vel cibi temperies, vel cera poſſit eos a putredine vindicare, non opus eſſet in terram infodere, ne locum fruſtra occuparent, ſed commode in conditoria ad eum uſum parata congeri potuiſſent, licet non diffiteor, ſingularem pro humandis cadaveribus rationem Perſas habere potuiſſe, exemplum videlicet Cyri regis eorum celeberrimi, atque potentiſſimi: qui, ut refert Xenophon Lib. 8. de pædia Cyri, morti vicinus, a filiis ſuis & regni proceribus petiit, ut corpus ſuum terræ mandaretur, hac allata ratione, quod terra omni-

omnium ſit mater, optima quaeque proferat & nutriat. Notandum præterea obiter eſt, nationes quasdam non ſtatim poſt obitum mortuorum cadavera igni aut terræ mandare ſolitos fuisſe, verum per aliquot dies delibuta unguentis domi ſervaſſe, ut idem ipſe Alexander ab Alexandro Lib. 3. cap. 7. refert, Nazamonum fuiſſe morem, ſeptem ante ſepulturam dies mortuorum corpora detinere, Græcorum dies ſeptendecim, unde non fruſtra dicebam ſuperius, Perſis ceram illam, qua mortuos illinebant, non in alium uſum valuiſſe, niſi ut aliquot duntaxat dies corpora mortuorum ſervarent a putredine, donec ſcilicet ſecum, ejus ex more nationis, hoſpitare liceret. Corpus Alexandri M. quod attinet, integrum illud (ſi Suetonio credimus) usque ad Auguſti Imperatoris tempora Alexandriæ conſervatum fuit. Scripſit enim Suetonius, in Aug. Cap. 18. quod Auguſtus Imperator Alexandriæ cum eſſet, prolatum ſibi e penetrabili corpus Alexandri M. veneratus ſit floribus aſperſis, & aurea corona impoſita, conſultusque num & Ptolemæum inſpicere vellet, Regem, ait, ſe voluiſſe videre, non mortuos, perinde quaſi viveret adhuc Alexander, & ſolus regio nomine dignus eſſet, quod Suetonii teſtimonium adducens Matthæus Ruderus in Q. Curtii explanationibus in fine operis, addit etiam ex Dione Caſſio: tactam quoque ab Auguſto particulam naſi Alexandri & fractam, quod inſigne eſt integritatis monumentum. Corpus tamen illud ita integrum ſervatum non ſoli melli,

ſi eo illitum erat, integritatem ſuam referebat, ſcripſit enim Curtius Lib. 10. cap. 14. Aegyptios & Chaldæos juſſos fuiſſe corpus mortui Alexandri ſuo more curare; eo ſcilicet, quem ſupra vidimus ex Herodoto, & Diodorus Siculus Lib. 18. ubi magnificentiſſimum & longe pretioſiſſimum deſcribit vehiculum, quo corpus Alexandri Babylone Alexandriam deportatum eſt, hæc ab initio deſcriptionis dicit: (Principio autem inquit loculus mallei ductura ita fabricatus erat, ut probe quadraret, quem usque ad medium aromatis, quæ & fragrantiam & durationem cadaveri præbuerant, referrent.) En & unguentorum delibutio & diligens occluſio. Cum ergo Plinius dicit, melle illitum fuiſſe Alexandri corpus, non excludit alia aromata, ſed mellis vim commendans ait, illud ad eum uſum habitum fuiſſe, hæc ſatis, credo ſunt, quæ doceant ceræ aut melli minime fidendum eſſe, quæ tamen licet maximam, vim haberent; nihil nobis in propugnanda SS. corporum integritate obeſſent. Cum videmus hæc non eſſe illita cera aut melle etſi a principio fuiſſent, tamen nudata jam & abſterſa putrefierent, niſi divinitus conſervarentur.

Argumentum VII.

Illud quoque, ſi quibus occurret, objiciunt nobis, quod Plutarchus Lib. 4. Symopoſ. quæſt. 2. ſcribit: cadavera hominum fulmine peremtorum non putreſcere. (Id, inquit, omnium maxime mirum eſt, quod omnes fere compertum habemus: corpora

ra de cœlo tactorum putredinis expertia perdurare: multi enim ea neque cremant, neque defodiunt, ſed ſepimento circumducta relinquunt, ut videantur perpetuo putredinis vacua.) Hinc et indecorum Euripidi ibidem objicit, qui Climenem Phaetontis matrem ita plorantem inducit:

Carus ille nunc mihi
Aliqua in convalle computreſcit mortuus.

Phaeton enim fulmine ictus interiiſſe dicitur. Hinc ergo ſaltem ei, cui omne quodlibet licet, licebit dicere, corpora, quæ in cryptis veneramur, eſſe hominum fulmine percuſſorum, ideoque non putrefieri. Hoc non tam argumentum, quam terriculamentum, non fulmen, ſed fulgur expelvi eſt, & telum pigmæorum indignum cui clypeus opponatur. Quia tamen hac in parte debitores eſſe volumus, ſapientibus & inſipientibus, ſi cui non placet hiſtoria B. Neſtorii, aliorumque, qui eandem ſortiti ſunt integritatem, teſtantur ſuos Majores SS. diverſis temporibus diuerſo quidem multos mortis genere excepiſſe, ictu fulminis periiſſe nullum, ſi inquam, hæc teſtimonia fidem non merentur, dico ipſum Plutarchi teſtimonium, aut falſum eſſe, aut nihil contra nos facere, & falſum quidem eſſe multa ſuadent, primo quod multa, quæ vulgo de fulmine jactantur, ut, quod non feriat laurum, non Hiacynthum gemmam, non corallum; non vitulum marinum, non aquilam, riſu a ſapientibus excipiuntur, & tamen ita celebrata & decorata ſunt, ut multi a fulmine ſibi metuentes ad pleraque iſtorum confuge-

fugerent: ita dicitur Auguſtus pellem mortui vituli ſemper & ubique ſecum circumtuliſſe ob metum fulminis, & ob hanc cauſam tentoria etiam Imperatorum ex eiusmodi pellibus fieri ſolita. Tiberium quoque Cæſarem fulmina metuentem coronam lauream geſtaſſe perhibent. Similis videtur fabula quod ex Alberto Meteorologi vulgo referunt, accidiſſe aliquando, ut fracto dolio vi fulminis vinum quaſi concretum ſtaret, rigorque ille triduo perduraverit: licet multi huic fidem adhibere videntur, ſed multæ iſti Autori, quos prodidit nugæ fidem adimunt, deinde quia de hujusmodi cadaveribus nihil referunt Meteorologi, cum tamen res eſſet memoratu digniſſima, ſi vera eſſet, frequenti experientia pateret. Et ſi qui referunt, ut facit Ioannes Zathn, Scrutinio 3. almoſcopico disquiſit. 3. cap. 15. & autor M. Theatri ſub litera C. ubi de cadaveribus, referunt ſolum hoc a nobis adductum Plutarchi teſtimonium, quod ſignum eſt rem hujusmodi a ſolo Plutarcho proditam, nulli cognitam alii, & præterea conſulenda eſt omnium experientia, num quid inſolita & rariſſima res eſt, homines et bruta ictu fulminis interire! Quid quid ergo, expertia ne ſunt putredinis? Plutarcho ergo in hac re viro alioqui eruditiſſimo occini poteſt illud Horatianum: *Quandoque bonus dormitat Homerus*, quod ſi verum etiam, quod dicit, fuerit, nihil cauſæ noſtræ officit: erit etiam verum non ad tantum tempus, quanto jam integra duravere, atque durant in cryptis ſancta Lypſana,

pſana. Nam non aliam forte ob cauſam integrum erit corpus e cœlo tactum, niſi quod acerrimus fulminis ardor momento ipſius humorem abſumpſerit omnem, illudque exangue & ſiccum reddiderit. Præterea quod exhalatione ſulphurea & nitrea, (his enim fulmen conſtare dicitur) ipſum impleverit, nitrum autem integritati ſervire & ab Aegyptiis in curandis cadaveribus adhibitum fuiſſe ante vidimus. Sola enim exſiccatio nitro etiam adjuta ad paucos poterit dies cadaver conſervare, ad multos annos non poterit, ſed nec exſangue penitus ac ſiccum, quod fulmine percuſſum eſt, reperiri corpus neceſſe eſt. Diceres fortaſſe fulmini vim ineſſe lapideam: ſed repugnabit experientia.

Argumentum VIII.

Excluſi itaque a certis in natura cauſis adverſarii, confugere poſſunt ad incertas & latentes, & dicere: poſſe latere cauſam, naturalem tamen eſſe. Sed Reſpondeo: cauſam naturalem, ſi latet, in toto rerum, in quibus effectus aliquos miramur, genere aut ſpecie latere. Ita v. g. Magnetis vis, qua ferrum trahit, aut quaſi ad ſeptentrionem convertit, æque obſcura in uno, atque in alio Magnete, nam ſi aliquod ferrum non trahet unus, neque alius Magnes traheret, idem dic de loco, & tempore aliisque circumſtantiis, naturalem autem & latentem cauſam eſſe, quæ conſervet hæc, ſed non alia humana corpora, idque in eodem loco & eodem tempore nemo ſanus dixerit. Inſtare tamen poterunt afferendo ſimile quidpiam exem-

 plum,

plum, de novem Herculis filiis, quorum meminit ipſe Ariſt. Lib. 4. Phyſ. cap. 11. Qui cum ad Sardiniam appulſi eſſent, ibidem omnes interiiſſe dicuntur, & ad Ariſtotelis usque tempora integris corporibus fuiſſe ita, ut dormientium ſpeciem exhiberent, ut ex Strabone referunt Conimbricenſes commentario in caput citatum Philoſophi, ad hæc reſp. primo quidem narrationem de Herculis filiis commentum eſſe: certe ipſe Ariſtoteles fabulam vocat loco citato, deinde non poſſunt adverſarii oſtendere, abſuiſſe omnem naturalem cauſam, quæ illa cadavera ſervaret integra, ſi integra fuiſſe verum eſt, hoc eſt, non delibuta eſſe ungventis, non caſu aliquo in conſervativas cauſas incidiſſe, quemadmodum nos oſtendimus de iſtis corporibus.

Argumentum IX.

Operæ pretium eſt addere hic aliquid de ſanctis craniis ſive Calvariis, quæ quidem dotem integritatis in ſuiſmet corporibus non ſunt ſortita, alio tamen non minus mirabili donata privilegio. Stillant enim perpetuo oleum quoddam, multis ac diverſis morbis ſalubre, quorum ea ſint hominum, incertum eſt, eſſe tamen SS. oſtendit ipſum hoc miraculum, quandoquidem nec pelle nec carne veſtita & oſſa duntaxat omnino arida, mirum tamen ex ſe unguentum emittunt & ſimile aliquid in iis intuemur, quale mirata eſt antiquitas, in maxilla aſini a Sampſone pro armis tractata, & in petra baculo Moiſis percuſſa: quarum vtraque divina utique vi aquarum ſcaturiginem

nem emittebat. Huic quoque Thesauro longe præstantissimo insidiantur inimici nostri, & quia rapere ipsum nequeunt, pretium ei adimere satagunt, contendentes oleum quoque istud naturam ipsam pro fonte habere; id autem quo argumento videamus. Ioannes Herbinius Lutheri sectator, qui Kijoviam subterraneam seu Cryptas Kijovienses, latine descripsit, edito libello Regiomonti in Prussia anno 1675. ita Cap. 13. numero 3. ipse vel nomine cujusvis alterius philosophatur: (Ossa, inquit, Cranii non solida sed cariosa, porosa, facile friabilia sunt. Hinc fieri, ut Crania illa poris undiquaque versum hiantibus, aerem Cryptæ, effluviis aqueis, nec non pinguioribus cadaverum exhalationibus turgentem, jamque tot effluviis spissiorem factum perpetuo attrahant, attractum postea in pelvim aut discum distillent, qui succus coagulatus speciem tandem olei aut opobalsami refert. Nihil novi nec miraculi res est, oleum illud ægra viventium hominum corpora sanare, cum ex effluviis Corporum in Cryptis resolutorum exhalet. Atque ita quia per mutuum naturæ amorem, sive sympatiam Oleum illud Corpori humano est ὁμογενὲς, hinc a simili facile curatur simile.) Confirmat hoc ipsum deinde, aliquot medicis experimentis, quod adeps omento humano detractus viscera & exta hominium curet, quod amuletum a pellc humana præparatum morbos contagiosos abigat &c. Atque hanc instantiam censet esse gravissimam, suggeritque rationem quærendæ, si inveniri potest, solu-

ſolutionis. (Decernant, inquit, litem eam, qui Cryptas illas ſalutarunt, & num præter Crania illa oleifera, alia quoque oſſa, ſcamna, oſtia, aliaque lapidea aut lignea aere humido madeant, tractando ea manibus ſenſum perceperunt.) Hæc Herbinius.

Ad quæ ut commode redeamus advertendum eſt, ex duplici ratione infringi dicere objectum argumentum, primo oſtendendo, non poſſe oleum naturaliter iſtud ex calvariis elici. Secundo non poſſe oleum iſtud ſalubre eſſe naturaliter, & morbis mederi. Primum ergo multa ſunt, quæ probant, nam primo ut nutum ſequamur Herbinii, ligna & lapides, & alia oſſa, quæ in cryptis ſunt non madent, niſi cum ingens populi frequentia Cryptam perambulet, & tunc apparent guttulæ quædam in columnis marmoreis bene lævibus & politis, in lignis autem nullæ apparent, nimirum quia ligna poroſa ſunt (licet non ita poroſa ut oſſa, ſpongiam imitantia) adeoque facile perviam homido aeri, qui proinde non habet, ubi plures aqueas particulas glomeret, in unum cogat, & coagulet, quemadmodum videmus, ubi etiam ſpiſſiſſimus ſtagnat aer, ligna & alia poroſa, atque fungoſa corpora non facile madefieri, in ſolidis autem & præſertim lævigatis contrarium apparet. Quia enim ſpiſſiſſimam habent ſuperficiem, ideo in ipſis una aeris humidi particula ad aliam adhæret, & ita multæ ſimul coactæ grandiores guttas efficiunt, donec in inſignem molem auctæ pondere ipſo delabuntur.

Argu-

Argumentum X.

Quod igitur objicit Herbinius, vel quispiam apud ipſum alius, poroſa eſſe Crania Cryptarum magis confirmat, quam deſtruit miraculum. Sive enim poroſæ, ſive ſolidæ ſint iſtæ calvariæ, ſive deſtillent, ſive intra ſe abſorbeant atque diſpergant humorem, certum eſt, humorem illum, quem in marmore ibidem cogi videmus, eſſe mere aqueum, nec quidquam in ſe viſcoſi & oleoſi habere: certum item eſt, eundem humorem eſſe exiguum, neque poſſe colligi tantum, quantum in aliis Cryptis colligitur, quod videlicet Cryptas haſce noſtras quotidie patentes perpetuo recens aer permeet, atque adeo non ſinat humidam exhalationem diu ſtagnare & in guttas cogi. Vnde ergo oleum in Calvariis & quidem tanta in copia, cum alia oſſa, quæ non pauca in Cryptis reperiuntur, arida & ſicca ſunt.

Quod vero dicit Herbinius, Materiam olei eſſe exhalationem pinguem, ex cadaveribus redeuntem, id neſcio, qua fronte dicat: quaſi vero cadavera, quæ per 7. Sæcula jacuerunt, habeant adhuc aliquam in ſe pinguedinem, cum ſciamus medicorum olea, niſi bene obturentur, ſenſim imminui & evaneſcere, & carnes pinguiſſimas imo potius lardi maſſas progreſſu temporis aridas & macras fieri: & ſævum & oleum uſitatum deperire. Adde quod Calvariæ iſtæ, in cavernulis ad latus effoſſis, depoſitæ, feneſtris etiam occluſæ lateant, & non quaſi toſtæ ſemper in oleo apparent, præterea ſicubi alias maxime in char-

chartis pinguium exhalationum veſtigia adparerent, facile enim charta a pingui læditur, & flavum quendam ſeu fuſcum ſitum contrahit. Multas autem per Cryptam chartulas tabellis agglutinatas videre eſt, in quibus ſcilicet nomina prope jacentium Corporum indicantur, & tamen nullam forte vitiatam oleo obſervabis; ſi quæ enim vitiatæ ſunt, luridum quendam atque ceruleum, qualis ex humido aqueo contrahitur, colorem oſtendunt; ut hinc liquido jam pateat, nec in corporibus, nec in terra ipſa Cryptarum quidquam olei reperiri. Licet enim in multis partibus, ubi integritatem non ſortita, computruerunt, terra hæc ab initio pingvedine oppleta fuerit, nullum tamen reſtat jam ſignum pinguis exhalationis, neque credibile eſt, pinguedinem illam totam hactenus non evaporaſſe. Conſulendi quoque ſunt, qui nitrum conficiunt, aptamne judicabunt Cryptarum terram nitro conficiendo, ſiquidem eam aptam eſſe judicant, quam pinguem ſciunt. Licet idem fieri ex terra urinis & excrementis animalium imbuta, teſtatur Sennertus Lib. 1. Med. 9. Alterum autem, videlicet oleum calvariarum non poſſe naturaliter mederi, videtur certius eſſe, quam ut probatione indigeat, cum & diverſis morbis medeatur, ita ut plerumque incidat in membrum corporis, nullam ſecum ſympathiam habens, neque enim adhibetur ab hominibus peritis medicina et in exigua quantitate conceſſum magnos

&

& mirabiles exhibeat effectus. At detractum ex omento humano adipem & amuletum ex pelle humana confectum, copiosum dari necesse est, ut aliquid valeat. Cum autem ostendimus, non posse ex cadaueribus olei istius originem deduci, si etiam naturale esset, non haberet utique cum corpore humano sympatiam, quod si e cadaveribus oriretur, credibile ne esset, retinere illud vim eam, quam in vivo corpore vel recenti cadavere habuit, & quidem tantam, ut perexigua etiam sui particula mederi posset! alioqui quorsum tot tantique labores pharmacopolorum, quorsum variæ operosæ, sumtuosæ, & artificiosæ distillationes? quorsum medicorum experientiæ? Crypta enim cadaveribus oppleta erit apotheca, & medicamentorum plurium officina. Præterea nonne facile erat Herbinio, vel cuique alii capere experientiam ex aliis Cryptis vel sepulchrorum testudinibus, num quid ibi simile oleum colligi ad curandos morbos prodesse posset. Legant quivis ista objicientes adversarii: legant inquam Lib. 5. Sennerti medicarum institutionum Cap. 22. Vbi disputans de modo investigandi vires medicamentorum, frequenter inculcat magis in ea re experientiam, quam rationem solam consulendam. Turpiusque illum labi, qui rationi absque experientia, quam qui experientiæ absque ratione obsequitur, neque enim in Physicis ratio ipsa per se potest quidquam certum reperire, sed omnia ab experientia mutuantur.

tur. Vnde author ibidem: (ne, inquit, ratio claudicet, alteri quoque experientiæ nimirum, insistat, quæ vel sola sæpe sufficit) sed jam ad alteram classem argumentorum accedamus.

* *

CAPVT II.

SOLVVNTVR ARGVMENTA HISTORICA ET THEOLOGICA.

Cum videant nemine etiam admonente adversarii argumenta, quæ utcunque moliuntur contra integritatem SS. corporum, ipsa, ut ita dicam corruptibilia & facile solubilia esse, versant se in omnem partem, & veluti gravi morbo decumbentes appetunt, quod ipsi nesciunt, a Philosophia ergo ad Theologiam & Historiam currunt, sed ubique imperite, imo ridicule agunt.

Argumentum XI. Theol. I.

Ioannes Herbinius supra memoratus Author Cap. 11. Kijoviæ subterraneæ Num. 7. & alibi, postquam ad objectiones contra SS. corporum integritatem torqueri solitas respondit, licet id non suo, sed Russorum nomine facere se dicat, sibi ipsi adversatur: nam et ipse fateri cogitur, non posse tale & tantum miraculum naturæ viribus tribui,

tribui, ita enim eodem Cap. num. 3. loquitur. (Quod ſi, inquit, Kijovienſium corpora nullo tincta Balſamo, aut aromatibus infecta ſunt, & tamen tot jam Sæculis, immota & necquicquam (nequaquam voluit dicere) corrupta aut putrefacta ſunt, adeoque ſi hiſtoria rei hujus certa, omnibusque numeris vera eſt; profecto eſt, quod plus ſatis demiremur, & cujus rei videndæ gratia Kijoviam ſecundo Pripeto ac Boriſthene profecti Cryptas illas adeamus. Etenim ibi Cryptis ſæpe hiantibus, aer quandoque mutatur, atque crebris exterorum, atque monachorum ibidem incluſorum commeationibus, nec non facularum ardentium, aut etiam Thuris ſacri invitatione paſchali, & aliàs fumigationibus variis afficitur, aut inficitur potius, & tamen mortuorum corpora aere tam varie affecto permanent ſemper eadem forma, atque integèrrima.) Ita Herbinius: ſibi tamen factus contrarius eo videtur contendere, ut non modo non eſſe, ſed nec poſſe eſſe ejusmodi integritatem cenſeat. Quia alioqui tribuendam illam meritis SS. Patrum putat & revera a nobis tribui dicit: quod quia impium eſſe putat, (magna, inquit, meriti Chriſti injuria miraculorum & ſalutis gloria meritis humanis attribuitur.) & tamen videns non poſſe id tribui naturæ viribus, videtur omnino negare poſſe quoque id fieri. Sed reſpondemus facile, primo quidem, quod ſi inficiemur tribuere nos iſtud miraculum Patrum meritis? Quanquam e-

 nim

nim non omnino merita hominum e Salutis noſtræ theſauro excludimus, quemadmodum faciunt Lutherani, ſed illa tanquam inſtrumenta putamus eſſe, per quæ virtus ſanguinis & mortis Salvatoris noſtri operetur. Nihilominus tamen, non omnia dona Divina requirere operum humanorum interventum, ultro fatemur, ſed multas gratias gratis dari ſcimus, non quod absque infinito meritorum Chriſti pretio, ſed quod absque ullo humanorum operum obolo, plerumque conferantur, ut donum prophetiæ, præſertim Sybillis collatæ, operationem miraculorum, & pleraque alia, ita ſi integritatem quoque corporum Patrum noſtrorum a Deo ſervari non tam ob ipſorum merita, quam ob aliam aliquam ſublimem & illi ipſi cognitam cauſam, (forte autem ut gentem diuturna ſuperſtitione occæcatam, & ad primos Evangelii radios lippientem, hoc ſigno ad ſeſe adduceret, aut oſtenderet integritatem doctrinæ Orthodoxæ, quam ea tempeſtate corrumpere in occidente pergebant Latini) hoc inquam ſi dicamus, nihil abſurdi erit, ſed abſurda oſtendetur objectio Herbinii. Deinde cum dicimus miraculum hoc vel aliud dari SS. meritis, non ita intelligimus, quaſi hoc vel meruerint, vel meruiſſe voluerint ſancti, id enim extra negotium eſt ſalutis, & cum bene agere bonoque certare certamine Deo auxiliante pergimus, eo contendimus, ut coronam juſtitiæ in die illa, & vitam æternam conſequamur, non vero,

ro, ut miracula vivi vel poſt obitum patremus, ſed dicimus dari meritis, vel ob merita ſanctorum fieri miracula, hoc eſt, Deum Sanctorum corpora aſſumere pro inſtrumentis ad ſuam potentiam oſtendendam, quippe quæ bonis operibus digniora cæteris effecta ſunt, licet etiam per minus digna idem præſtare poſſit, ſi ipſi ita viſum fuerit. Ita raro admodum impii vaticinati ſunt, ſed ad munus hujusmodi deligebantur ſemper probi & SS. homines, item propter merita fieri miraculum dici poteſt, quod Deus coronans virtutem in cælo, etiam æternis quibusdam ſignis teſtatam eſſe faciat in terra: quo facilius homines ad imitationem ſanctorum inducantur, veſtigiis eorum inſiſtant, & in ſpe promiſſi Divini confirmentur. Idem eo ſenſu accipi poteſt, quod Divina benignitas magis ſanctorum, quam aliorum precibus moveatur, ita etiam ut extraordinarium aliquid & mirabile faciat, non quod vel preces vel merita eorum tale aliquid vel exigant, vel exigere quaſi debitum poſſint. Denique an non facta ſunt quæſo, plurima per ſanctos miracula? An non idem promiſerit Chriſtus? & quod magis ad rem noſtram eſt, an non aliorum quoque ſanctorum præter Kijovienſes Corpora poſt obitum integra permanſerint. Sedeat igitur, ſi ita ipſi libet Herbinius, & quivis alius Divinorum operum judex, & ſcrutetur cauſas eorum, nobis ſufficit oſtendere integritatem hanc SS. Corporum Naturæ viribus nequaquam poſſe tribui.

Argumentum XII. Theol. II.

Idem Ioannes Herbinius eodem Cap. num. 8. indignari videtur, quod SS. Patribus Kijovienſibus datum ſit iſtud integritatis privilegium, & negatum antiquis Patriarchis, tribus quoque Magis, qui infantem Chriſtum in cunis ſalutavere, quorum capita nuda ſeu calvarias Coloniæ ſe vidiſſe ait, & debuit potius his quam illis dari; (quod ſi, inquit, integritatis privilegium humana Divorum Kijovienſium merita, ut ferunt, a Deo reportant; cur quæſo, Patriarchæ SS. Abraham, Iſaac, Iacob, Sarra, Ioſeph: & alii in Crypta duplici ſepulti, idem non obtinuerunt? Cur tres illi Magi: quos tres reges vocant, majoribus longe ac divinioribus opibus clari, communi mortalium lege exemti non ſunt? Etenim corpora ipſorum (quæ vulgata eſt, quam nunc in medio relinquo opinio) Coloniæ Agrippinæ ad Rhenum, ipſemet anno 1664. in templo Cathedrali trium Regum in conclavi altaris magni, & eo quidem ardentiori deſiderio ſpectabam, quia ob amplius ſesquimille annis a Nativitate Ieſu Chriſti *Theantropu* incorrupta ibi ad miraculum ſupereſſe fando non ſemel acceperam. Aſt ego ibi non tria corpora, ſed tria ſolummodo Crania humana, in tribus thecis aureis cum inſcriptione Caſpar, Melchior, Baltaſar eſſe comperi) & paulo infra. (Quod ſi, inquit, tria iſta Regum, aut Magorum potius crania ſunt ſceleta; demirari ſatis non poſſum; Cur Deus primorum Chriſti Clientum eorundemque aut Regum,

gum, aut Regii Ordinis Sapientum corpora exanima primis hominum in novo foedere, tantisque operibus conſpicua, inque Canone clariſſimos viros poſt obitum integritatis perpetuæ privilegio non donaverit.) Hinc totus in eo eſt, ut integritatem SS. Corporum vel non credere, vel viribus naturæ tribuere videatur: Licet id clare non dicat, ſed totum fere humanum genus incuſet, impugnetque SS. merita: & hoc argumentum idem fere eſt cum priore, aut eiusdem confirmatio: Cujus vis ut appareat quanta ſit, ita breviter proponi poteſt: Si Patribus Kijovienſibus ſpectatis eorum meritis datum eſt a Deo priuilegium integritatis, datum quoque foret aliis, præſertim primis & majoribus ſanctis; ſed illis non datum; ergo neque iſtis. Reſpondemus ad hæc primo: quantum attinet ad merita, nihil agere Herbinium, & fruſtra hic eorum mentionem aut judicium facere, nam non eſt quæſtio de Cauſa merente integritatem, ſed de efficiente Phyſica; an videlicet illa ſit mere naturalis, an vero ipſa Divina providentia extraordinarie agens? in qua quæſtione, ſi evincemus, non eſſe naturalem, patebit, non aliam eſſe niſi Divinam. Oſtendimus autem primum, ſolutis adverſariorum argumentis, igitur patet ſecundum: ex quo jam dicere fas eſt: Magna fuiſſe Patrum iſtorum merita apud Deum, ſi ipſorum corpora miro hoc poſt obitum integritatis privilegio condecoravit. Non quod hoc ipſi meruerint, (humuna enim opera non modo

per se, verum etiam sumta cum pretio meritorum Christi, non ad miracula sed ad salutem æternam diriguntur, ut supra diximus,) sed quod tanquam organa & templa Spiritus S. digniora fuerint, per quæ tale miraculum Deus operetur propter sublimes, quas ipse novit causas: seu ut virtutem eorum ad imitationem nostram palam comprobaret, unde apparet, vanam esse Herbinii Theologiam. Nam si merita hominum ad miracula tanquam ad præmia vellemus destinare, valeret aliquid ipsius argumentum, quod si his tale privilegium datum sit, dari debuerit aliis quoque; Cum vero nihil tale dicimus, sed dicere ei videmur, negatum est ipsi suppositum, ut loquitur vulgus logicorum. Quærere autem cur horum sanctorum, non vero aliorum ipsis parium aut majorum corpora integra esse Deus voluerit, audax valde, atque temerarium est. Primo quidem, quod non humano judicio censuræve sunt obnoxia, & quis eorum major quis minor sit apud Deum? Deinde quod judicia Dei, quæ abyssus multa sunt, non possunt nisi per extremam vecordiam ab homine judicari. Immemor erat, cum hæc scribebat Herbinius, varia variis data esse a Deo mirabilia, donaque atque dotes, ut mille exemplis in veteri & novo testamento comprobari potest. Respondeat ergo Herbinius: Cur Moyses & non alius quispiam creatus sit Dux & legislator Israelis? Cur Henoch & Helias non alii vero vivi hactenus conserventur? Cur Salomoni sapientia, Sampsoni incredibilis for-

fortitudo data ſit? Cur David, & non alius etiam Patrum ipſius, regno Iſraelis & tot aliis privilegiis donatus ſit? Cur ipſi, quorum meminit Magi, & non alii digni judicati ſunt, qui primi Meſſiam cognoverunt, & ſalutaverunt. Cur Simeon ſenex & non alius reſponſum accepit a Spiritu S. non viſurum eſſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Dominum? Cur poſt reſurrectionem Magdalenæ prius apparuit Chriſtus? Cur Thomæ non contigit adeſſe, quando ad Diſcipulos venit, Dominus? Et dies me prius deficiet, quam omnia hujusmodi exempla in medium proferam. Ita & Corpora SS. aliorum quidem ſoluta poſt obitum ſunt, aliorum vero integra conſervata. Quid ad hæc Herbinius, vel quivis alius ei ſimilis reſpondiſſet, ego quidem neſcio. Nos cum D. Paulo philoſophamur, diviſiones miniſtrationum & operationum & gratiarum eſſe ab eodem Spiritu, juxta voluntatem ipſius. (Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii diſcretio Spirituum, alii gratia linguarum, alii virtutum, alii prophetia, alii interpretatio ſermonum. Hæc autem operetur unus atque idem Spiritus dividens ſingulis prout vult. 1 Corinth. Cap. 12.) Cur autem ita velit quærere, inſipere non ſapere eſt, dicendum potius eſt cum eodem Doctore Gentium (altitudo divitiarum ſapientia, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia judicia ejus, & inveſti-

gabiles viæ ejus. Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut qui conſiliarius ejus fuit? Rom. 11.)

Argumentum XIII. Theol. III.

Objicere quoque poſſunt, quemadmodum idem Herbinius ibidem furit: corruptionem ſicut & mortem eſſe plagam & pœnam primigenii peccati, juxta ſententiam illam Dei Gen. 3. pulvis es, & in pulverem converteris. Et licet Chriſtus effuſo ſangvine ſuo culpam illam plane abluerit, hanc tamen pœnam ab ipſo non ablutam cuique patet. Qua propter artis opus eſſe videtur, integra illa Patrum Kijovienſium corpora: neque enim contradicit ſibi, aut leges a ſe primo fixas ſolet refigere Deus. Sed reſpondeo primo, argumentum ſi quid valet, non noſtram tantum ſed communem Chriſtianorum cauſam impugnare, atque adeo ab omnibus ſolvendum eſſe. Neque enim Kijoviæ duntaxat, verum aliis quoque in locis pluribus, aliorum ſanctorum corpora integra reperiuntur, vel antea reperta fuiſſe dicuntur: Ita Chalcedone magnæ illius Martyris Euphimiæ, cui etiam libelli duo, alter orthodoxam, alter hæreticam doctrinam continens, a Patribus quartæ Oecumenicæ Synodi, quaſi judicandi appoſiti erant, & orthodoxus quidem preſſe in manibus teneri, hæreticus vero pedibus conculcari poſtmodum repertus eſt, ut refert Nicephor. Lib. Cap. 5. Sancti quoque Spiridonis Thaumaturgi illius, & antiqui Confeſſoris corpus erectum & ſtans etiamnum videtur

detur in Insula Corcira. Corpus quoque D. Ioannis Chrysostomi integrum post 30. ab obitu annos fuisse vel hinc constat, quod revectum Constantinopolim & in sede qua dejectus erat collocatum, salutasse populum, pacem omnibus juxta morem Episcoporum precando, dicitur. Item Hieronymus in vita Hilarionis scripsit, corpus ipsius post decem menses adhuc omnino repertum integrum, quod & ipsum non naturæ sed Divinæ virtuti tribuit. Item Aug. Lib. 9. Confessionum Cap. 7. testatur, Corpora S. Gervasii, Protasii Martyrum incorrupta per plurimos annos a Deo conservata fuisse, ut suo tempore propalarentur. Item Corpus S. Mariæ Ægyptiæ anni spatio integrum jacuisse comperit Zosimus, ut scripsit in vita ejus Beatus Sophronius. Item in Lib. Spirituale pratum dicto, referente Ioanne Moscho, fratres quidam mortui reperti, & post 8. ab obitu menses integri. Quid dicam de corporibus oleum fundentibus, qualia celeberrima sunt Divi Nicolai, Episcopi Mirensis, & D. Demetrii Martyris Thessalogiensis? quid item de aliis, quorum magna copia per utramque Russiam spectatur, et intra ipsam S. Barbaræ Martyris, S. Macarii Metropolitæ, quæ extra Cryptas, in libero fluente ac refluente & indies mutabili aere exposita integritatem suam non amittunt. Quod ergo vel Herbinius, vel quis alius dicet, de his, nos idem dicemus de corporibus, quorum hic causam agimus. Dicimus igitur pœnam mortis

temporariæ ſublatam quidem morte Chriſti eſſe, dilatam tamen ejus abſolutionem; nihil itaque obſtat, quo minus Divina providentia poſſit vel mortem ipſam vel ejus comitem corruptionem, etiam ante judicii diem in aliquo S. homine tollere, hoc enim non erit legis ſuæ refixio; cum Chriſtiani non ſint rei mortis, ſed tantum propter fines alios Deo cognitos moriantur. Verum erit privilegium, quod nihil aliud eſt, niſi privata lex, ſeu lex privato conceſſa, hunc v. g. vel illum, vel plures aliquos e communi lege eximens, uti ipſum nomen teſtetur, nihil autem abeſſe, quo minus aliquis, etiam a morte perpetuo liberetur, patet ex Cap. ultimo Ioannis, ubi Chriſtus de Ioanne ad Petrum dicit (ſi eum volo vivere, donec veniam, quid ad te.)

Argumentum XIV. Hiſtor. I.

Sunt autem nonnulli, qui ſane ridicule perhibeant, Kijoviam eſſe illam antiquam & celebrem urbem Trojam, vel in loco, ubi Troja fuit, ſitam, Cryptas vero iſtas a Trojanis effoſſas & in illis corpora magnorum illorum Heroum, Hectoris, Priami aliorumque, more Ægyptio curata condita eſſe, ideoque non putreſcere. Refert hanc & confutat opinionem memoratus Herbinius in libello de Cryptis Cap. 2. & alibi: Verba ejus loco reſponſionis noſtræ hic placet adducere, (Abſurda, inquit, hæc atque falſiſſima eſſe geographia docet: Si enim Troja olim fuit, ubi nunc Kijovia exiſtit, qua, quæſo, ratione claſſis Græcorum

eo

eo per descendentes Boristhenis adversi Cataractas penetrare potuit, cum ne scapha quidem incolumis illac transeat. Quomodo Æneas Classem per Cataractas illas transmittere potuit, cum ne trabes quidem ibi impune præcipitentur. Magna sane est & celebris cataracta Vestrogotica nomine, Trohetta Latine, si cum Nonio loqui licet, Capitium vel mitra Diaboli, in quam trabes vel mali nautici præcipitati impune evadunt pauci admodum; quam Cataractam cum inspectaremus viatores toti horrebamus. Ast una hæc Cataracta cum multis Boristhenis præcipitiis nequaquam est conferenda. Sed & Virgilius navigationem Æneæ in Italiam recensens, nullam Boristhenis, nullam Ponti Euxini, nullam Hellesponti ab Ænea trajecti, quæ omnia tamen trajicienda erant Classi Dardanorum, facit mentionem. Certe Homerus de Boristhene nostro tacet, & nos cum eo.) Hæc Herbinius, cui addere possumus: quod Trojæ mons Ida vicinus dicitur, cum hic perpetuo tractu montes porrecti sint: quod in conspectu Trojæ insula Tenedos notissima fama, olim dives opum, ut canit Poeta, fuerit, capaxque admodum: quippe quæ totam classem Græcorum capere & occultare potuerit, prope Kijoviam vero nihil tale videmus: quod Troja fuerit in Asia: Nam & Priamus regnator Asiæ, & regnum ipsum, & res Asiaticæ passim dicuntur apud Virgilium. At Kijovia in Europa est, plusquam 60. leucas dissita a limitibus A-

siæ,

ſiæ, a Fluvio videlicet Tanai, quo Aſiam ab Europa dirimi communiter tradunt Geographi. Gerardus Mercator, celeberrimus Geographus, in tabula compendioſa Orbis terræ, Trojam e Regione Conſtantinopolis poſt Anguſtias Propontidis verſus orientem poſuit. Cujus opinioni favet fama Hiſtoricorum, qui tradunt, Conſtantinum Magnum, dum novam Romam condere cogitavit, locum Trojæ quæſiviſſe. Cæterum ignoratur penitus ubi Troja fuerit. Dio Chryſoſtomus celeberrimus Orator, integram orationem evulgavit, qua contendit Trojam, Trojanosque & regnum Trojanum nunquam & nusquam fuiſſe, ſed & res & nomina ficta fuiſſe. Non eſt ergo cur ſolliciti ſimus de Patria urbe noſtra ab incendio Trojano vindicanda; quæ licet Troja, vel in Trojæ gremio fuiſſet, corpora tamen quæ in cryptis ſunt, non eſſent dicenda Trojanorum cadavera, quantumvis omni diligentia curata fuiſſe dicantur. Cum apertis jam Cryptis & per multa ſæcula libero aere eas permeante, omne hactenus medicamentum evanuiſſet.

Argumentum XV. Hiſt. II.

Plerique ex Latinis Pontificiis, cum videant non poſſe miraculi gloriam Patribus Kijovienſibus eripi, concedunt eam, licet forte inviti & non libentes, ad ſe tamen ſuamque ſectam pertrahere ſatagunt. Dicunt enim vere quidem integra eſſe ea corpora, integritatemque eorum non naturæ, ſed Divinæ omnipotentiæ tribuenda: Cæterum

tamen

tamen illo adhuc tempore contigiſſe, cum nondum eſſet lugubre hoc orientales inter & occidentales diſſidium. Quare neque eorum ſectæ quicunque obeſſe, neque noſtræ religioni prodeſſe ajunt: Hinc plerique eorum Antonium & Theodoſium, aliosque patres noſtros ſanctorum titulo dignari non verentur, quin & in libello, qui Annus cæleſtis inſcribitur, imploratur in opem D. Antonius Peczarienſis & alii nonnulli: quod & Theophilus Rutka celebris apud ipſos, licet ſpernendus omnino ſancto Iſraeli Goliath, in Libro de notis Eccleſiæ, quem ex Bellarmino totum fere tranſcriptum pro ſuo venditavit, clare teſtatur, eosdemque Patres Iovi ſuo Capitolino (ſi per Deum licet) ſacros facit. Ad quæ non aliter nobis reſpondendum eſt, niſi oſtendendo homines talia crepantes, vel penitus neſcire, vel malitioſe diſſimulare Chronologiam. Converſio enim & Baptiſmus Ruſſorum generalis (erant & aliæ antiquiores, ſed privatæ & paucorum converſiones) contigit anno Chriſti 1000 ſecundum Baronium, aut Anno 1008. imperante Kijoviæ primo Chriſtiano Principe Vladimiro. At prima diſſidii fundamenta a Latinis jacta ſunt circa finem octavi Sæculi ſub Leone tertio Pontifice Romanorum, quando in conciliabulo Aquisgranenſi conati ſunt quidam ſcioli dogma novum de proceſſione Spiritus S. a Filio credere, additamentumque Sancto Symbolo aſſuere; licet alterum horum Leoni Papæ perſuadere non

po-

potuerint. Serpebat interim ſenſim perItaliam hæc peſtis,atque Galliam,donec longe lateque progreſſa orienti etiam audita eſt.Cum enim inBulgariam nupere converſam ſuos Nicolaus Papa miſiſſet legatos; iidem ſecum attuliſſent vitiatum additamento ſymbolum. Audita hac novitate Michael & Baſilius Imperatores datis ad regem Bulgariæ literis, maxime tam Romanam, quam totam Latinam Eccleſiam perſtrinxere, quod etiam a Filio Spiritum Sanctum prócedere docent. Hinc Nicolaus Papa, quia erubeſcebat reſilire a lapſu, maluit in majus ſeſe induere præcipitium Gallorum Magiſtros ad dogma ſuum confirmandum hortando; quæ omnia patent ex epiſtolis ejusdem Nicolai. Idem Nicolaus monſtroſum caput in mundo proferre non dubitavit, alteramque movit controverſiam de regimine & administratione Eccleſiæ: Nicolao & aliis Latinis oppoſuit totus ſeſe Oriens, & non ſolus Photius, ut ipſi blaterant. Quia & ipſe Papa Romanus Ioannes Octavus per literas & Legatos in Conſtantinopolitana Synodo, in qua Photio ſedes reſtituta eſt, additamentum illud damnavit; ut patet in aliis ſynodis: reſerarique videbatur novum vulnus & obduci recens plaga Eccleſiæ. Sed mox Latini ad monitum redierunt, gliſcebatque in dies doctrina peſtifera, donec tandem progreſſu temporis confirmata ultimum fecit diſſidium. Et hæc omnia anno 1000. facta & conſummata ſunt. Deinde ſi pro tempore ſuſcepti in Ruſſia baptis-

fuit;

mi unio adhuc orientem inter & occidentem fuit; quid, quæſo, opus erat Vladimiro legatos mittere ad occidentem orientemque, & quænam melior videtur religio explorare. Id quod teſtantur etiam ſcriptores Poloni, & S. Neſtor tradit repudiatos a Vladimiro Latinos, cum ei ſuam religionem ſuaderent. Quod ſi dicas, Græcos quidem in ſchiſmate jam fuiſſe, verum Ruſſos unionem cum Romana Eccleſia foviſſe, id, multa ſunt, quæ falſum eſſe oſtendunt. Num enim a Latinis Ruſſia converſa ſit? ſed forte poſt converſionem mox in partes Papæ conceſſerit: Cur ergo a Patriarchis Conſtantinopolitanis Metropolitæ Kijovienſes ordinabantur? Cur nullus a Romana Papa miſſus ſit? Cur non Epiſcopos modo, ſed ne legatos quidem ullos a Papa Rosſia viderit? nec ipſa unquam Romam veterem ſalutarit? Quin imo vix nudum nomen Romæ ſcierit? Aut oſtendere debent, quando Ruſſia priſtinam illam cum Latinis, quam ipſi ſomniant, unionem ruperit? Cum potius ipſi Papæ ſæpe cum Græcorum tum Ruſſorum Principes & Epiſcopos ad unionem ſollicitarint, ipſique nonnulli Ruſſiæ pudendi Paſtores vel potius lupi rapaces, iidemque paraſiti & nequiſſimi pulpones ſub iratum Dominorum ſuorum aſpectum non ferentes, ne ab officiis pingvioribus arcerentur, turbulentam illam unionem affectarint. Quæſitæ ergo ex utraque parte unionis & tempora, & loca, & concilia oſtendi poſſunt, ruptæ autem non posſunt

ſunt. Cum enim Duce Domino in ovile Chriſti intravimus, jam in eo Latinos non deprehendimus. Ridiculi autem plane quidam ſunt, qui dum in Eccleſiis noſtris audiunt precari nos a Domino fidei unionem, ſuſpicantur, id eo animo a nobis fieri, quaſi nos pœniteat amiſſæ unionis, hujus, inquam, quam ipſi ſuadent; nosque olim cum ipſis coluiſſe autumant; ſed hæc riſu non reſponſione digna ſunt. Obſervanda interim hïc eſt incredibilis hominum vecordia, & ſtupiditas: Nam cum ſuæ fuiſſe religionis Patres Kijovienſes dicant, ideoque ſanctos fateantur, & integritate corporum a Deo illuſtratos, eosdem tamen dictis & ſcriptis exſibilant, inſulſis jocis perſtringunt, & conviciis inceſſant. Quis furor o cives! quæ vos dementia cepit? Si veri ſancti ſunt, cur eos injuria afficitis? ſi ficti & falſi, cur ad veſtram ſpartam trahitis, & opem eorum imploratis, ex iisque decus egregiæ veſtræ unionis quæritis. Rectus es Domine, & recta judicia tua; ut qui divinam hanc Patrum noſtrorum integritatem impugnant, ipſi integro ſenſu non ſint, ſuamque ipſorum vecordiam non cognoſcant.

Argumentum XVI. Hiſtor. III.

Objiciunt poſtremo; qui magis modeſti, cæterisque ſaniores videntur eſſe: Patres Kijovienſes fuiſſe homines ſimplices & rudes, ignoraſſe diſſidium & ſchiſma Græcorum, Cap. Eccleſiæ & dogma proceſſionis Spiritus Sancti a Filio, non con-

contempsisse, verum nesciisse, quippe, qui Theologiæ minime gnari fuerint: cum ergo probe & sancte viverent, moresque suos rectæ rationi conformarent, potuisse mereri salutem æternam, dignique fieri, quos integritate corporum post obitum Deus illustres redderet. Communiter enim, docent Theologi, etiam homines in hæresi existentes sed simplices & doctrinæ orthodoxæ non contrarios, sed ignaros, posse salvari: cum eos vel ipsa ignorantia quam invincibilem vocant, facile excuset: & dicuntur vulgo hæretici materiales. Hæc an ita se habeant, ut dicuntur, videamus. Admissa ergo propositione negamus assumtionem: primo quidem quia recens fuit memoria Legationis Vladimirianæ, quæ inter cæteros, etiam Latinorum sectam respuit, deinde vicinia Poloniæ & cognatio utriusque gentis Principum, non sinebat latere saltem sacerdotes, quid esset dissidii inter utramque Ecclesiam: sed & Catechesin tunc maxime floruisse certum est, cum et ipse Princeps Vladimirus frequenter apud Populum de rebus Divinis concionatus esse perhibeatur: neque facile ex crassis cordibus idololatria abolere, nidorque ille victimarum evaporasse potuisset, nisi instanter in dogmatibus orthodoxis gens instrueretur. Aut quomodo viri etiam Principes, ut Nicolaus Swiatosia Dux Czernikoviensis, Barlaam Senatoris filius & alii, aut doctrinam Christianam ignorare, aut si ignorarint, ad totam vitæ sublimitatem, aspirare atque niti

potuere? Præterea mittebantur tunc Constantinopoli Kijoviam Episcopi Græci, viris certe non indoctis comitati, qui erant utriusque linguæ Sclavonicæ, inquam, & Græcæ periti, qui etiam libros sacros interpretari poterant: Ex horum autem si non doctrina, saltem consuetudine scire omnino præsertim Monachi & Sacerdotes poterant de dissidio Latinorum propter auctum impie S. symbolum, & novum dogma excogitatum. Neque dicas dissidium illud, propterea, quod recens admodum ut in teneris radicibus esset, minus forte obnoxium fuisse notitiæ vel odio orthodoxorum, præsertim novorum in Russia fidelium. Utrinque enim contrarium colliges, & quod recens erat dissidium, & quod recens Russiæ conversio. Populo enim recens converso majore cum vigilantia Pastores provident, & ab omni errore cavent: ideoque digito fere lupos hæreticos præsertim vicinos non cessant ostendere. Doctrinæ autem novitas hoc proprium habet, ut ipso initio maxime innotescat, & magis quam unquam alias, horrida videatur. Id quod experientia patet: tunc enim major fervet contentio, & plerumque ad arma res venit. At qui assueti hominibus hæreticis sunt, cum consuetudinem tum doctrinam eorum minus horrent: stupent enim, & veluti in loco a viperis infectato degunt, non admodum sunt cauti: id quod pariter multi magno suo malo experiuntur, si modo id ipsum velint perpendere Facile ergo ea

ea tempeſtate quilibet orthodoxus Latinorum ſciolorum novum inventum & ſchiſma ſciebat & execrabatur. Id etiam hic addendum eſt: circa illa tempora vixiſſe Romæ peſſimos Pontifices, monſtra, rectius dixeris, ſpurciſſima, quam homines: nimirum tales decebat eſſe novi dogmatis fundatores: eo enim Sæculo, ut reliquos taceam, furebat illa teterrima bellua Sergius tertius, qui quæ fecerit, Platinam audiamus in vita Sergii III. pag. 140. (Formoſi, inquit, acta (erat Formoſus Papa mortuus) ita improbavit, ut denuo ad ſacros ordines eos admittere neceſſe fuerit, quos Formoſus antea ſacerdotali ordine indignos cenſuerat; neque hanc quidem ignominiam mortuo intuliſſe contentus, ejus cadaver e ſepulchro tractum capitali ſupplicio, ac ſi viveret, afficit, corpusque ipſum in Tyberim projecit, tanquam ſepultura & honore humano indignum.) Idemque eidem Formoſo paulo ante Stephanus Sextus fecit, niſi quod digitos tantum cadaveri ejus abſcidit, capiti pepercit: quaſi providiſſet egregius Propheta quid facturus erat Sergius, eique tanquam peritiori carnifici ſupplicium illud reſervavit. Hæc autem & talia quomodo latere poterant, nec univerſum orbem horrendo auditu pervadere? conjuncta vero cum novo ſchiſmate, quomodo non execranda novæ præſertim in Ruſſia Chriſtianitatis fuerant. Cum ergo, ut pie credere fas eſt, in pœnam novæ doctrinæ tam tetrum ſatanam fœtorem Ro-

 mani

mani colles exhalabant; tunc cryptæ Kijovienses optimæ Ecclesiæ suæ prospiciente Deo suavem Christi odorem emittere cœperunt. Et quo Sæculo terra illa tot sanctorum sepulchris clara, a corruptoribus doctrinæ orthodoxæ sepulchrorum violatione polluta atque profanata est, eodem plane Kijovia admirandis hisce sepulchris, atque sepultorum corporum integritate resplenduit. Frustra ergo boni illi viri, sanctitatem Patribus Kijoviensibus concedentes, doctrinam adimere satagunt: cum ad cognoscendam ea tempestate fœdam Romani papatus formalitatem & a vera Christi Ecclesia distinguendam non magna sapientia opus fuerit; sed vel ipsi oculi suffecerint.

Appendix de Cadaveribus Pontificum anathemate juste percussis.

Iamque tollerem, quod ajunt, novum de tabula, sed ne quid relictum a nobis sit, quod huic argumento saltem simile atque cognatum videri potest; dicendum breviter est, etiam de cadaveribus hominum Pontificio anathemate juste percussorum: eorum enim corpora, nisi se ante mortem a vinculo illo absolvi, vel si mavis dicere, a vulnere sanari curaverint, dicuntur post obitum non dissolvi, sed integra permanere, nigra tamen & horrida, & tanquam tympana inflata, omnibus, qui intueantur, terrorem & horrorem incutientia perhibentur. Et reperiri quidem hujusmodi cadavera extra controversiam est: cum

cum multi id ſcribant. Et Leo Allatius ſibi ipſi viſum tale ſpectaculum teſtatur in Lib. de opinionibus Græcorum: Controverti tamen poteſt, an deformis illa integritas naturæ tribuenda ſit, adeoque non concedenda orthodoxorum Pontificum anathemati, divinæque potentiæ extraordinariæ operanti? Gor Dominicanus doctisſimus Evchologii noſtri orthodoxi interpres, atque explanator credit hoc & miratur, Pontificumque poteſtatem ſuſpicit. Martinus Cruſius Theologus Lutheranus Tubingenſis, autor Turcogreciæ, id ipſum vel alium referentem adducit? quid ſit tamen, aut qui fiat, diſſimulat. Leo Allatius Græcus ipſe Chienſis, ſed Græcis iniquus transfuga ad Latinos factus negare videtur & naturæ tribuere, in memorato libro de opinionibus Græcorum. Quod ejus opuſculum, ſi ad manus eſſet, ſolidius forte confutaremus opinionem illius. Quantum tamen memini, duo in contrarium offert, primo argumentum cujusdam autoris Græci latinizantis, qui cadaver Imperatoris Michaelis, niſi me fallit memoria, Palæologi poſt mortem non diſſolutum defendens (erat enim Imperator ille veſanæ cum Latinis unionis promotor, crudelisque orthodoxorum perſequutor: arguebaturque poſt obitum ob fulmen anathematis non corrumpi) reprehendit Græcos, quod eodem ſigno ſanctos & damnatos inſigniant: ex integritate enim cadaveris utrosque cognoſcunt, quod plane abſurdum vocat. Secundo: Ipſe ait

 Alla-

Allatius contigiſſe ſibi admodum puero videre ejusmodi cadaver in egeſta ſcrobe integrum & inflatum jacens: Cujus ventrem adeo tenſa & firma cute fuiſſe dicit, ut injectos ſupra ipſum magna vi lapides aut aſſeres, imo ipſos quoque petulantes pueros inſilientes e ſcrobe ejectaret. Hoc ergo dicit Allatius minime tribuendum eſſe extraordinariæ vi veluti corium arte Coriarii tractata durataque, aere intus, ubi viſcera erant, occluſo, diſtendatur, faciatque illud tenſum tympanum.

Dicendum nihilominus eſt, divinæ extraordinariæ actioni tribuendam eſſe integritatem illam, & inflationem: ſive Deus per ſe, ſive per Angelos bonos, ſeu quod probabilius eſſe videtur, per malos angelos id faciat, ad contumaciam hominum, qui Eccleſiaſticum gladium, quod videlicet corpora non vulneret, plerumque contemnunt, coercendam teſtandamque orthodoxorum Pontificum poteſtatem, ut vinctum illud horrendo quodam rigore cadaver etiam ſtupidis palam faciat ita vinciri & ligari animam, quam Paſtores ob juſtas cauſas ligant atque vinciunt. Id vero duplici ratione ſatis videtur demonſtrari: primo quia non poteſt id tribui naturæ viribus, cum per multos annos integra hujusmodi cadavera maneant, ut patebit ex infra dicendis: ſufficienter autem ſupra omnia naturæ vires afferentia argumenta videmur confutaſſe. Quæ confutatio fortior adhuc eſt in præſenti materia, ut dicemus contra Allatium. Secundo quaſi Pon-

Pontifex orthodoxus ex præſcripto ritu ſupra tale cadaver preces Deo fuderit, ſententiamque abſolutionis protulerit, magno ſane & ſtupendo miraculo ſubito cadaver diſſolvitur, cujus rei duo celeberrima eaque teſtatiſſima exſtant exempla. Primum eſt apud Martinum Cruſium Lib. 2. Turcogræciæ: quod cum Machometes ſecundus Turcarum Imperator inter alias Chriſtianorum res accepiſſet a quibusdam, cadavera hominum, quæ Pontifices Chriſtiani anathemate percuſſerunt, poſt obitum non putreſcere, inſtanterque juſſiſſet rem ſibi exemplo comprobari: recordati ſenes nonnulli homines, mulierem quandam a præterito Patriarcha Gennadio Scholario fulmine hoc percuſſam interiiſſe. Quæſitum ergo cadaver illius & repertum integrum. Quia vero de ſolutionis quoque miraculo, quod ſolutionem pontificiam ſequitur, Imperator audierat, & id etiam oſtendi ſibi poſtulaverat, juſſit Patriarcha Maximus nomine, illud ſigillo Imperiali muniri & ad aliquod tempus, quo ſibi ſpatium precandi concederetur, aſſervari: quo exacto fudit preces coram Deo Pontifex, & ſolutionis ſententiam pronuntiavit, atque confeſtim, eo ipſo momento multis purpuratis Turcicis præſentibus, cadaver in arca diſſolutum eſt, tanta celeritate atque violentia ut propius adſtantibus oſſium crepitus audiretur. Alterum eſt in magno Euchologio Sclavonico edito Kijoviæ: opera Petri Mohylæ Metropolitæ Kijovienſis: quod ſcilicet idem Metropolita Vilnæ cum eſſet, a quodam ſacerdote cer-

tior factus sepultum ibi esse diaconum, nescio quem, qui se filium Borissi Godini regnum Russiæ per Tyrannidem adepti mentitum, & anathemate a Patriarcha Constantinopolitano ictum fatebatur, & excedens e vita petiit, si quando Vilnam Pontifex aliquis orthodoxus adesset, ei absolutionem non negaret: de hoc, inquam, certior factus Mohyla, precibusque mortui ac sacerdotis illius pro mortuo rogantis flexus, solemnem peregit ceremoniam: & idem protinus effectus sequutus est; cadaver enim, quod eatenus integrum & tumidum fuit, extemplo dissolutum est. Hinc ergo luculenter ostenditur, cadavera ejusmodi non naturæ viribus conservari, sicuti dici nequit, naturæ viribus eam fieri dissolutionem. Ad objecta Leonis Allatii facile est respondere. Græcus enim ille latinizans, si sancti alicujus corpus integrum, & damnati inflatum cadaver vidit, neque unum ab altero discernere potuit, oculis laborasse, aut admodum stupidus fuisse dicendus est, quod si non viderit quoque, tamen mentis lumine carere se ostendit: cum enim quis de integritate damnatorum cadaverum narrat, exponit ipsius deformitatem & horrorem, nigrum illud, tumidum, inflatum esse, & inspicientes terrefacere: quod qui a beati cujuspiam composito & concinno admirationis pietatisque simul affectum movente, & interdum suavem odorem spirante corpore non discernit, ille neque atrum a candido discernere poterit. Hæc ad Græcum transfugam a Leone

Alla-

Allatio laudatum, quem tamen nominare nequeo, propter lapſum memoriæ. Ipſi vero Allatio reſpondemus: incertum eſſe, neque ſcire eum potuiſſe, num cadaver ab eo viſum hominis fuit non afflati Pontificio fulmine; niſi forte patriæ ſuæ blandiebatur Leo, ut non poſſe quempiam talem de popularibus ſuis reperiri crederet, quemadmodum ingens & operoſum evulgarit volumen de Homeri Patria vanam antiquorum Græcorum litem agens & Homerum fuiſſe de ſua gente, Chium videlicet contendens. Quo opere, quantæ vanitatis ipſe fuerit, quamque erat affectui obnoxius affatim oſtendit: licet enim veterem litem non diremit, nec haberi ex eo quicquam certi poteſt, cujusnam civitatis vel nationis Homerus eſſet, prope tamen demonſtravit, non fuiſſe illum Chium, id quod cuique non valde dormitanti lectori patebit: cum tamen ipſe putet demonſtratum a ſe, quod Chius fuerit. Vanus item eſt, cum ita de cadavere philoſophatur, ut videatur ſolem aut aerem coriariam artem docere. Multa ſiquidem talia reperiri posſunt præſertim in eadem terra: nec ſcio cur non omnia hujusmodi elaborationem ſortirentur, & tympana fierent. Quod ſi illud quod vidit Allatius naturæ viribus ita diſtentum & elaboratum fuerit, non poteſt tamen inde argui, omnia talia cadavera viribus naturæ elaborata eſſe, quod vel ipſa mirabilis, quæ aliquoties contigit diſſolutio planum facit.

Præterea si diuturno tempore cadaver huiusmodi jacuerit, magis a se arcebit argumenta vires naturæ astruentia, quæ superius a nobis confutata sunt: Nullum enim in iis locum habebit exsiccatio, vel alia quæcunque maceratio, cum ita tumidum atque inflatum sit. Non est quoque ad manus crudelissimus ejusdem Allatii libellus admittendus, in quo confictas antiquitates Etruscas confutat. Cum enim fictor ille occurrens nasutorum hominum examini scripserit, se sua vaticinia, (se enim multis ante partum Virginis sæculis vixisse, & de futuris post partum Virginis rebus, de Medicorum, qui nunc Florentiæ imperant, gente vaticinare mentitur) eo curasse artificio, tali chartæ inscripsisse, bytumine quodam & plumbo, & aliis perpetuitatem pollicentibus conditoriis inclusisse, ut numquam corrumpi possent. Hæc inquam, cum scripserit fictor ille Allatius, quo hujusmodi imposturam retunderet, bene & erudite in memorato libello ostendit, non multum illa omnia ad conservationem valere: quem ejus libellum, si ad manus haberemus, facilius Allatium ex Allatio confutaremus, firmiusque etiam divinam Patrum Kijoviensium integritatem comprobaremus, interim hic, id quoque sciendum est, forte non omnia omnino damnatorum corpora non dissolvi, sed quædam duntaxat: sicuti neque omnium sanctorum integritate donantur corpora: quod non de omnibus ita Deo visum est. Hæc satis de proposito argumento.

ORA-

* *

ORATIO GRATVLATORIA ANNAE IMPERATRICIS, DE COLLATO CAELITVS IPSI ROSSIACO IMPERIO, HABITA IPSA DIE, QVA FAVSTE AC FELICITER IMPERATORIVM CONSCENDIT SOLIVM.

IN ARGVMENTO DE COMMODIS MONOCRATIAE ET INCOMMODIS ARISTOCRATIAE

AB

ILLVSTRISSIMO THEOPHANE ARCHIEPISCOPO NOVOGRODES.

Quandoquidem plausu maximo Augustissimam Russiarum Imperatricem hac die gratulamur de collato Ipsi divinitus Imperio & Imperii Monarchia confirmata, reputamus ne nobiscum, o cives Russiæ! nobismet ipsis etiam de ista ejus felicitate, tanquam de propria nostra oportere nos gratulari. Non ego quidem dubito esse hoc in animis virorum prudentium, & qui publici boni rationes expendere, ejusque pretium æstimare norunt; at hujusmodi Viros esse nobis non exiguo numero, enim vero est, quod addubitem, major certe pars præsertim ex censu plebeo tam opes quam penuriam Principum;

pum; tam ſanitatem quam ægritudinem; tam lætitiam, quam mœrorem illorum ad ſemet ipſos pertinere minime putant. Principibus hæc propria, non cum populo communia eſſe arbitrantur. At iſte hominum error ſimilem habet ſpeciem cum illo, quem in Agricolis Romanorum vatum Princeps coarguit, qui cum cogitaret, quam beatum ſit apud eos vitæ genus, invidiæ non expoſitum, a turbis alienum, a technis, dolis, fraudibus, quibus fervent oppida, liberum, longeque diſſitum, ut deinde amœna ſint, pagorum loca, quae ſcilicet agri pulchritudine, aquis limpidis, aere ſalubri gaudeant, ut denique vel ipſi ruſticorum labores valetudini eorum proſint, & pro certiſſima medicina haberi debeant; hæc inquam, cum ille perſpiceret, in iſtas voces erupit: Fortunatos, inquit, agricolas, bona ſi ſua norint. Non utcunque fortunatos, dixit, ſed, ſi conſcii ſint fortunæ ſuæ. Nimirum, certus erat, ruris incolam, modo ſibi necesſaria ad trahendam vitam ſuppetant, nihil aliud curare, nihil admirari: Etſi quando quis ex urbe hoſpes jucundum viſu regionis ſitum collaudet, campos, fontes, torrentes, vivos valles, et longe projectos terrarum deſpectus inſpiciat, illum ipſi ſtultitiæ, aut ſtuporis accuſare ſolent. Huic vero paganæ ignorantiæ non abſimilis, multum tamen deterior profecto eſt inſcitia, neſcire ea, ſeu bona, ſeu mala, quæ ſummis populi Rectoribus contingunt, publica eſſe, & ad ipſum populum ſpectantia. Qua-

Quapropter e re noſtra foret, hodie hoc edocere, firmisque documentis demonſtrare, ne nos fugiat, hancce lætitiam non ſolo in Principe, verum etiam nobiſmet in ipſis cauſam ſuam habere, & in illo quidem capite jacere ejus fundamenta, in cæteris ſtructuram ſurgere, ibi radicem, hic fructus; ibi venam, hic profluentem eſſe; breviter, dum a ſubditis Principi applauditur, ſibi magis quam illi eos plaudere, quippe qui per ipſum felices & fortunati vivant, ſi norint fortunam ſuam. Diſſerere tamen hac de re generatim, ſiquidem antea de hoc ſatis ut opinor, a nobis expoſitum fuit, non incumbit neceſſitas. Videtur autem operæ pretium eſſe, id proferre in medium, quod patriæ noſtræ ſingulare & unice ſit ſalutare. Id vero eſt, ſi oſtendere annitamur, ſolam eam formam regendæ Ruſſiæ idoneam, commodam, & ſecuram eſſe, quæ ſcilicet unius eſt Supremi Rectoris, qui Magiſtratus Monarchicus appellatur, eam vero, quæ ex collegio optimatum coaleſcit, & vocatur Ariſtocratia, illamque etiam, quæ totum populum, populi totius arbitrio committit, auditque Democratia, non modo minus nobis utiles verum etiam non parum fore nocituras. Ne quis autem hic obſtrepat non ex officio noſtro eſſe, neque ſacro huic loco decenter congruere, de rebus iſtis ceu normis politicis diſputare; mature ad hoc reſpondemus: non modo id nobis non eſſe inconveniens; ſed etiam neceſſa-

rium.

rium. Cum enim Magnus ille Apoſtolus ſupplicationes pro Magiſtratibus præciperet, cauſam præcepti ſui ex ſacris uſibus derivavit. Ita enim ad Timotheum in prima epiſtola cap. II. ſcribit. Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate & honeſtate conſtituti ſunt, ut tranquillam et quietam vitam agamus in omni pietate.

Quibus verbis clare oſtendit, humani etiam Statum Imperii non ad temporales modo neceſſitates, ſed etiam ad æternas a Deo inſtitui. Et vero Chriſti Eccleſia non parum ſubſidii a Principibus petit & obtinet. Habet ab illis timorem in auxilium frenandæ malitiæ, juxta illud ejusdem Apoſtoli (Rom. 11, 3. 4.) Magiſtratus non ſunt metuendi bonis operibus, ſed malis: Vis autem non metuere poteſtatem? quod bonum eſt facito, & laudem ab ipſa obtinebis. Dei enim miniſter eſt tuo bono. Quod ſi feceris, quod malum eſt, metue: non enim fruſtra gladium gerit: nam Dei miniſter eſt, vindex ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit. Habet tutelam pro commodo ſecuræ pietatis juxta ſuperius dictum (obſecro primum &c.) Habet idem grex Chriſti ab iisdem miniſtris Dei, præſertim, orthodoxis, Paternam Providentiam in uſum cum propagationis tum reſtitutionis ſuæ juxta divinum illud apud Iſaiam promiſſum (& erunt: Reges Nutritii tui

&

& Reginæ) unde colligere eſt, ad Paſtores Eccleſiarum pertinere de formis gubernationis indagare, eo prorſus pacto, quo ex munere ſuo habeant, in quaslibet hominum conditiones inquirere, quænam huic, & quæ illi magis conducant & vitia corrigenda, ad virtutis exercitium. Ita & Paulus de ſervitiis, quorum, utique opera terrena eſt, dijudicat, quantum ſcilicet ſors eorum vel proſit, vel obſit ad pie vivendum, ubi enim docuit ſtatum ſervitutis non obſtare, quo minus ſit aliquis Chriſtianus, addidit præſtare, aſſertum eſſe in libertatem, modo quis juſtis modis jugum illud excutiat. Atque ita nos etiam ab obtrectatoribus hac in parte libertati ad rem inveſtigandam accedimus.

Quænam regendi populi ratio præſtantior & vitæ mortalium utilior ſit? Monarchiane, an Ariſtocratia, an vero Democratia? priſtina quidem inter Philoſophos diſputatio eſt, ſed ne hactenus quidem diſſidiis expedita. Major tamen & melior pars pro Monarchia decernit. Quod multa ardua, periculoſa & noxia in ſecunda ex his & tertia obſervent occcurrere, non ita crebro & facile in priorem incurſent. Ariſtocraticum inprimis illud ſeu plurium. Optimatum Imperium, ſi paucis committatur; magnis periculis exponitur. Quod nimirum iis non ſit difficile, in detrimentum Reipublicæ conſpirare. Experti hoc olim Romani, cum Rectores ſibi delegiſſent, & quam ſit inutilis ejusmodi Magiſtratus,

malo

malo suo edocti, idque brevi, continuo eum depulerunt. Istud tamen magis mirum est, quod triginta simul Gubernatores Atheniensibus impositi in extremum eorum exitium consenserint, & vix tandem heroica civis optimi fortitudine profligati fuerint. Quapropter ingens sit regentium numerus necesse est. Verum alia hic neque una ostendit se difficultas. Qui enim facile est multos admodum Viros, eosque omnes acri ingenio sagaci judicio præditos, bonis artibus excultos, longo rerum usu instructos, honestos, eosdem & moderatos, liberales, justos, minime avaros a rapinis abhorrentes, privata sua bona publico posthabentes, mortem prius oppetere, quam aliquam Patriæ jacturam admittere promptos paratosque (hæc enim ornamenta, hæc decora in singulis illis requiruntur.) Ecqui, inquam, tot tantosque viros, & quidem uno eodemque tempore colligere & ad clavum Reipublicæ collocare facile est? Qui arcana consilia quæ in vulgus prodere sæpenumero est, prodere patriam, in tanta multitudine possint esse arcana? Qui plurimorum hominum optimorum licet, hominum tamen, & qui tametsi non malitia, errore tamen, peccare possunt, perpetuus consensus expectari queat? Qui prægnantia negotia, quorum dilatio perniciosa sit, in tanta frequentia brevi expediri valeant? Qui denique in proclivi sit, de eorum successoribus, cum sint mortales provideri? Felix enimvero natio quæ perennia tot sapientum proborumque viro-

virorum ſeminaria habeat & foveat! Sed quam ſit rara & ut optari magis, quam obtineri poſſit hæc felicitas, nemo non videt. Quid porro ſi tantum Rectorum Collegium aut ab orta æmulatione, aut alia quavis diſſidii cauſa in partes dividatur, & populum per diverſa trahendo in varias factiones diſcerpat? profecto miſeram tunc patriam videbis perſimilem, vel conſciſſæ veſti, vel disjectis ædibus, vel disjecto membratim corpori. Sequitur, ut poſt hæc Civile bellum efferveſcat, nam ſpes ad priſtinum ſtatum redeundi fere nulla eſt: & turbarum eventum alterum ex duobus hiſce expectaveris, aut everſionem Patriæ, id quod Iudæa invadente Antiocho, atque deinceps experta eſt, aut in dominium unius converſionem, quod apud Romanos poſt Pharſalicam pugnam factum eſt, & poſt Actiacam victoriam confirmatam.

Quod ſi Democratiam populare illud gubernaculum intueamur, ejusdem generis occurrent diſcrimina, prioribus tamen deteriora. Equidem mihi ſubit ita meditari: ſi membra humani corporis ſpreto capitis principatu communi ſuo omnium conſilio regere ſeſe conſtituiſſent, opus eſſet utique & manibus, & pedibus, & ventri, & pectori, & aliis artubus ſuos habere oculos, ſuas aures, linguas, labia, quin & animas & mentes ſingulis ſingulares. Atqui idem de populo ſe ipſum gubernante cenſendum eſt. Poſſitne vero id fieri, dicant alii, *mihi*, mihi quidem nihil certe, quid

dicam, non ocurrit. Addunt ad hæc hisce de rebus philosophantes: Liberas istas ut vocant, Respublicas ex regio omnes Imperio originem accepisse. Ita ortam Romanorum, Atheniensium, Cretensium, Corinthiorum, ita omnes fere alias. Non potuisset scilicet nisi ex una radice frondes exoriri & divulsas etiam postea non nisi radicis percepto succo, donec liceat, virere & vivere. Addunt etiam, diutius semper stetisse regna, & etiamnum consistere, quam regentis sese populi Civitates: Neque opposueris vicinam nobis gentem in exemplum. Sed & illa inter tres potentissimos Monarchas, quorum quilibet prædam hanc alteri non concedet & rapturus ipse, ab aliis vicissim invadetur. Atque tunc triangulus rara fortunæ gratia munit illos, & hactenus, ne pereant defendit: ut prudentissime judicabat Gloriosæ memoriæ PETRVS MAGNVS. Huc spectat & illud, quod ita comparata natio sæpius intestinis concutiatur motibus; ferveat dissidiis, in mutuas exardescat pugnas. Et vero hujusce mali uberrima nobis exempla exhibet nostra hæc vicinitas. Non male quoque pronunciant sagacissimi quique Politici, tam Democraticam, quam Aristocraticam rectionem parvis non nisi Civitatibus et, quæ fere unius ambitu oppidi contineantur, posse competere; quales pleræque Græcorum erant, & hodie sunt Venetorum, Batavorumque. At nobis res est de populo immensa pene spatia occupante. Omnibus his rationibus nos audemus adjicere: Nullam

lam unquam usquam fuiſſe, nullam eſſe veram, propriam & quæ nomini ſuo apprime reſpondeat Democratiam. Nonne clare videat, qui attente obſervet in modicis etiam hujusmodi Civitatibus, pauca non niſi aliqua & in ſpeciem grata toti populo communicari, cætera omnia paucos primarios agere & agitare & ſecum ipſis tranſigere, plebem interea fuco pavitatis palpando in officio continere. Quicquid tamen ſit, ſuam unicuique opinionem relinquimus. Noſtro autem judicio, rectius omnino illi diſputant, non qualis hæc vel illa Civitatis forma per ſe ſit, ſed qualis huic vel illi genti apte congruat: ea plane ratione quam Medici adhibent, in decernendo alio aliis cibo vel potu juxta corporis habitudinem. Hos igitur ſequendo conſideremus, quæſo, quinam Magiſtratus noſtræ Nationi magis minuſve conducat, qui plus utilitatis promittit, & qui vehat ſecum incommoda, aut minetur damna. Abſtinendum vero nobis hic cenſemus ab illo rationum genere, quod ex indole hominum & neceſſariis ad bene conſtituendam Rempublicam virtutibus aut officientibus vitiis rem conficeret. Hoc enim in negotio talis probandi modus cum abſtruſa non niſi & obſcura indicia proferat, tum periculoſæ offenſioni & lapſui obnoxius eſt. Exemplis potius, quæ rem ponunt ob oculos & experimentis, quæ ex præteritis ſæculis habet abunde Ruſſia, agendum hic videtur. Iſto autem in propoſito ſatis nos adjuvabit Gentis noſtræ hi-

ſtoria, ſi eam a certis ipſius initiis, hoc eſt, ab octavo poſt Chriſtum exeunte ſæculo arceſſamus. Nam quæ antiquius illa ætate geſta apud nos ſunt, ob ſcriptorum penuriam, difficile fuerit, tanquam Nili caput, indagare. Aut ſi quæ monumenta ibi offendas, cernes ea non per modum continuæ tritæque viæ, ſed quaſi quædam rara & hinc inde comparentia veſtigia. Iam vero perpetuæ hiſtoriæ noſtræ primordia non poſſumus capere, niſi a Principe Rurico. Illum autem Monarcham fuiſſe non ſinunt nos dubitare cum acta ejus, tum Scriptores præcipui & conſentientes. Quorum teſtimonio conſtat etiam Monarchicum in Ruſſia Imperium a Rurico usque ad pronepotis illius D. Wladimiri obitum immutatum permanſiſſe. Quid autem, quæ conditio, qui gentis noſtræ ſtatus fuerit? quæ noſtrorum vires, quæ decora? Erat tunc Ruſſia præpotens, glorioſa & ſimul terribilis, non vicinis modo, ſed & longinquis nationibus, etiam dominatum illa ſuum non tantum ad Danubium extendit, ſed & ultra flumen illud protulit. Arma noſtratia quaqua verſum circumlata, Conſtantinopolim usque penetrabant, modo per continentem, modo per Pontum Euxinum, aliquando utraque via ſimul, quorum quidem progreſſuum non pauca monumenta habemus, ſed temporis brevitate recenſere impedimur. Poſt hæc ampliſſimum hocce Imperium in plures Principatus, adeoque modicos cum tempore in plurimos atque adeo plane in minimos

ſectum

fectum eſt. Et erant quidem ſingulæ iſtæ Dominationes quaſi totidem Monarchiæ, Ruſſia tamen induerat Ariſtocraticam faciem. Siquidem Magnus Wladimirus cum regnum filiis moribundus divideret, arctiſſimam illis imperavit concordiam, ut illud pro individuo poſſiderent ac regerent. Fructus ſcilicet partiendos, Patriam integram & indiſſolubilem eſſe voluit, & curam qua ei proſpicerent unam & communem omnibus. Verum tamen longe aliud factum eſt. Diviſi Principes ditionibus, mox ſeſe ſtudiis dividere. Confeſtim ergo Ruſſia mutare, priſtinas vires amittere, defloreſcere, victa & caduca fieri. Quin etiam proh rem nefandam! cœpit gladium ſuum non tam adverſus hoſtes vibrare, quam in viſcera ſua convertere. Deum immortalem! quanta tunc calamitatum agmina veluti conſpiratione facta in Patriam noſtram irruerunt? ſunt tibi, cui hæc placent, aliquem ex noſtris Hiſtoricum & vel negligenter pervoluta folia, nihil tibi crebrius, nihil frequentius occurret, quam mutuæ Civium incurſiones, cruentæ clades, horrendæ ſtrages, oppidorum incendia, fugæ hominum palantium, ubique fœda rerum facies, infinita ubique malorum ſeges. Narratio hiſce fere verbis concepta: Hoc anno Dux Razanenſis invaſit Smolenſcenſem: hoc anno Dux Roſtovicenſis oppugnavit Iuerenſem: utramque facit paginam. Idem legat de Polocenſibus, Susdalenſibus, Pereslauienſibus, Starodubenſibus: idem de ipſis Kijovienſibus & poſt-

ea Mosquienſibus, idem de omnibus aliis grandibus & minutis. Raro annum reperias, qui tibi non oſtendat ſanguinarias hujusmodi expeditiones. Et ubique narratores iſti, addunt factam eſſe cædem atrocem. Mirari hæc ſatis non poſſis, quaſi enim magico carmine concitati Principes, ita alii aliis infeſti, ſui prodigi ſanguinis invicem ſe profligabant, & hæc fere unica eorum ſtudia erant, unica negotia & veluti profeſſio. Tunc crebro ſubitat in arma ruere quam feras perſequi Venatoribus. Hiccine egregius Patriæ ſtatus? hæc ſcilicet bona valetudo? hinc facta eſt rerum penuria, hinc inolevit mira barbaries. Non illa tempeſtate Divinam inſtitutionem non humanas litteras tractare licuit, non erat locus bonis artibus. Ne quidem cogitare de iſtis vacabat, dum ſola ſupererat ſolicitudo, qui ferrum & ignem, poſſit effugere. Ita tunc a tergo cunctarum prope gentium & quidem longo intervallo relicti jacuimus. Quod ſi quis tam acerbæ miſeriæ cauſam non in ſtatus conditione ponere, ſed aliunde arceſſere velit, proferret ille, nullus dubito, neſcio quid tale, quod ipſe non credit.

At enim non iſte finis malorum; non hiſce terminis gravis illa calamitas circumſcripta manſit. Eo tandem pervenit infelix Ruſſia, ut jugo Barbarorum cervicem ſuam inſerere cogeretur. Proh ſortem iniquàm, tetram, pudendam, deplorandam! Populus ille Victor, Victor ille populus,

lus, Gens Slavona, nomine ſuo olim digniſſima, Tatarorum Tyrannis in ſervitutem conceſſit! Heu miſeranda Patria! ubi tunc priſtina tua decora! ubi ſplendor, opes, potentia? ubinam fulminatrices copiæ tuæ? Obſtupuit Orbis, cum conſpexiſſet tam bellicoſam nationem factam eſſe prædam latrocinantium advenarum; tanquam ſi eſſet ſemiviva, aut profundo demerſa ſomno. At vero aliter fieri non potuit. Quamvis enim grande admodum corpus in plures tamen partes laceratum, qua ratione invadenti reſiſtere potuit, minori licet peregrino? Quæ autem & qualia tunc ſequuta ſint? ſupremum videbatur exitium heu quam horreſcit animus triſtiſſima illa referre, & veluti vulnus, pridem jam opitulante Numine obductum, memorando refricare. Ergo aliqua non omnia curſim ſtrictimque tangemus tantum. Cenſus erat capitum ſæpius repetitus pro pendendis Tyrannidi tributis. Exhauſta hinc inde æraria, non aſſerendæ libertati, ſed ſervituti confirmandæ: Multa oppida in cinerem redacta: Multæ Sacræ ædes exuſtæ: Magno ſæpe numero cæſi incolæ, non habita ratione ætatis, ſexus, conditionis. Principum interea turpis coram profano dono adulatio: Ipſique illi non raro ducti in vincula, truſi in carceres, quin & horrendis non pauci ſuppliciis affecti: Ipſi inſuper illi graviora ſibi ultro arceſſebant mala, jam per vanas & imbelles rebelliones, jam per mutuas ſuorum delationes atque calumnias. Sed

quis omnia recenſeat? unum adhuc ſaltem præterire non poſſumus: Magni Mosquenſium Duces coacti erant in nummis ſuis Mahumeticum litteris Arabicis Symbolum cudere: Deus unus Deus eſt, & Mahumed Apoſtolus Dei: ut reperti nunc aliquot eorum temporum nummi ſatis nos docent. Ecquid jam pejus adhuc quid deterius ac tetrius expectari tunc potuit, niſi cum religionis tum nominis etiam Chriſtiani jacturam? Mihi vero ſæpe numero mirari ſubit, qui factum ſit, quod Reges tunc Tartarici uſum armorum noſtris non interdixerint, ut fere fit cum devictis populis? & ſuſpicari ſoleo, feciſſe eos, ne deeſſet noſtris, quo ſemet ipſos tandem invicem debellarent, cum oppreſſi etiam alius alium invadere non ceſſaret.

At vero longe aliud de nobis conſtituit Vindex noſter Deus, quam quod ejus noſtrique hoſtes optavere! Cum enim Ruſſia plane deficere, atque jam emori, toti orbi videretur, mire eam excitavit Divina Potentia! excitavit ex tremula ſenectute in florem juvenilem! effractæ atque exantlatæ nervoſum robur reſtituit! pudenda maculatam labe, fecit iterum glorioſam! geſtit autem animus cognoſcere, qua ratione, quo apparatu hæc talia effecerit beneficum Numen? Non ille extra naturam quæſivit machinas non mari ſuffocavit hoſtes noſtros, ſicuti quondam Pharaonem. Non tubarum ſonitu fregit vires eorum,

eorum, veluti Ierichuntis mænia, non copias illorum Angeli manu proſtravit, ut illas Sennacheribi. Ex naturæ ſinu petito remedio ſanauit plagam noſtram & valetudinem reparavit. Amovit a nobis ſtatum qui nos perdiderat, & illum poſtliminio revocavit, qui nos olim potentes præſtabat & inclytos. Divina illa & paſſim ſparſa gubernacula, ſeu potius, ut ita dicam, anarchias ſuſtulit, & Monarchicum Imperium introduxit. Atque ita fortuna Patriæ noſtræ mox aliam induit faciem. Confeſtim Barbari illi, quibus nos ludibrio fuimus, nobis deſpectui eſſe & qui nobis extorquebant opes, & manubias eripiebant, vectigales noſtri fieri, & qui cervicibus noſtris inſederant, ſub pedes noſtros cadere. Quamquam vero admirandum fuit Diuinum hoc reſtituendæ in Ruſſia Monarchiæ opus, non tamen mira hæc illius conſectaria. Hæc ſcilicet Civitatis forma unica firmos fortesque reddit nos: hæc nos, ceu ſagittas, in manipulum collectos, quibusvis frangere conantibus duros oſtendit & difficiles. Iſte & non alius ſtatus effecit, ut Tartarorum dominatio illud in ſe ipſa experiretur, quod Sanctiſſimus Pſaltes de feris beſtiis cecinit, quas noctu, alimenta, ait, ſibi quærere, exorto ſole ad cubilia ſe ſua recipere. Enimvero poſt obitum Magni illius Wladimiri veluti poſt ſolis occaſum nox per Ruſſiam conſequuta fuit, nox illa erat longa ac tenebroſa. Nec inſolitum factum eſt, quod beſtiæ in ipſam irruerint & pin-

gue petentes pabulum, bona ſimul & corpus ejus arroſerint. Illuxit tandem ſolis inſtar ſceptrum monocraticum, tum illa ſæva animalia ad ſua receptacula compulſa ſunt. Quænam vero iſta & qualia ? aliis quidem ferro noſtro ſopitis ſepulchra data, aliis autem fovea ſervitutis aſſignata eſt. Ita nimirum Ruſſiæ Regio unius brachio, non puerilibus multorum manibus, non modo de cervice ſua iniquum tyrannicum jugum dejecit, ſed etiam illud ipſum immani Tyranno ſuo impoſuit, hic ne vero ſubſtitere progreſſus ipſius? Plus vltra promoti ſunt. Quo tempore Ruſſia in multas ſeſe partes magno malo ſuo dividebat, difficile erat Ruſſiam in Ruſſia invenire. At cum nexu Monarchici Imperii membra ſua conſtrinxit, & quaſi in unum corpus ipſa concrevit, parum tunc habuit oppreſſores ſuos ſuis pedibus ſubjeciſſe, multas etiam easque varias nationes, longe lateque ſparſas recepit ſub alas ſuas. Vt taceam res belli geſtas atque proſperos ſæpius eventus, quando aut vicit hoſtem, aut a finibus ſuis repulit, aut a ſociis profligavit. Quod ſi hæc nobis felicitas ante quintum & decimum a Chriſto ſæculum contigiſſet, non inanem haberet ſpem Conſtantinopolitanum Imperium conſervandæ ſalutis ſuæ, nec alibi, ubi fruſtra & minus probe quæſivit, certiora auxilia contra Turcas reperiſſet. Sed hic ſummi Dei decreta quæ merito alta abyſſus dicuntur, ſuppliciter adoramus.

Quid

Quid jam dicemus de aliarum gentium circa res noſtras judiciis. Mirabantur illæ, quam miſere collapſa fuerat Ruſſia, ſed magis poſtea miratæ ſunt, quam feliciter ſit reſtituta. Mutarunt priſtinam de ignavia vilitateque noſtra opinionem, alia & meliora cogitare cœperunt. Nec abs re fuerit aliqua hujus rei ſuggerere ſpecimina. Livones cum ſibi ab oſtenſis noſtrorum armis metuerent, petiere a Cæſare; petiere a Rege Svecorum ſubſidia, ſed uterque defugit, officium abhorrendo, Maximilianus, abnuendo Guſtavus. Iſte etiam filium: ad id alacrem compeſcuit. Eſtones quoque eodem perculſi metu, Danorum copias implorabant: recuſavit tamen Daniæ Rex Fridericus, inter alia cauſatus Ruſſorum potentiam: Iidem Guſtavus, & Fridericus Principes cum Eliſabeta Magnæ Britanniæ Regina per litteras expoſtularunt, de periculoſa ipſius liberalitate conqueſti, quod illa Ioanni Baſilidæ tormenta bellica dono miſerat. Eadem tempeſtate Lubecæ in magnis comitiis edictum fuit, ne quis mercator materiam pyrii pulveris in Ruſſiam veheret, aut artifex fundendi igneas machinas, vel nauticæ architecturæ peritus eodem ſe conferret. Huc etiam facit, quod Papa tunc Romanus quo Crucigeris ſuis contra arma noſtra conſuleret, bis cruciatum, ita Imperatoria diplomata ſua vocitat, in noſtram gentem publicavit, generalem illis delictorum veniam, pro more ſuo, pollicitus, qui inferendo Ruſſis bello pecuniam

con-

contribuerent. Neque hoc teſtimonium humilius, quod Turcarum Tyrannus Polonico apud ſe oratori dixerit: nimis audacem eſſe Regem eorum, cum adverſus Ruſſiæ Principem arma induiſſet. Iſtud vero etiam mirum eſt, quod Maximilianus Cæſar Ioannem noſtrum Baſilidem, titulo Cæſaris in miſſis litteris ornaverit. Neque jam pudori erat, quin potius honorarium habebatur, externos etiam Principes in exercitu noſtro militare, cujus rei inſigne præbuit exemplum Magnus Chriſtiani III. Daniæ Regis filius. Ingreſſi quoque ſunt alieni Regis cum noſtris conjugia iterum frequentare. Documento ſunt Maria noſtra ſupra dicto Magno, & Maria Peloponeſia noſtro Imperatori elocatæ, tum Helena noſtra Alexandro Polono Regi, tum Vitoldi M. Ducis Lituaniæ filia Baſilio noſtro uxores datæ, ne quid dicam de ſubſequutis temporibus. Non parva hæc, nec pauca; plura tamen ſunt, ſed & hæc ſufficiunt renovatæ apud nos gloriæ indicia, ex quo nos iterum una manus regere, ducereque occœpit. Et dicemus exigua nobis experimenta eſſe, quænam patriæ noſtræ forma civitatis, tanquam utilis, imo neceſſaria conveniat? Neque hæc tamen tanta ac talia turbidis capitibus ſatis fuere, quominus cum mala, tum bona ſua agnoſcerent. Nam in ipſa virili recreatæ Ruſſiæ firmitate, ubi Pſeudo-Demetrius peſſundatus eſt, fuere ex Proceribus, qui ſtatum Ariſtocraticum concupiſcerent. Electo enim

enim in Regem Basilio Schuichio persuasione an potius coactu effecere, ut non solus ille rerum summæ præesset, sed partito cum optimatibus imperio. Proh quanta ambitionis cæcitas! Quid vero consequutum est? Venerat ille dimidiatus Princeps in templum, & cum ad populum dixisset, non se solum velle esse Arbitrum Imperii, idque juramento intendere confirmare, sublatus confestim clamor est multitudinis, statum hunc sibi non placere, morem hunc esse insolentem, nihil boni expectari, si ita statuatur. Facto deinde silentio, idem iterum repetiit Basilius, sed iterum quoque vociferatum est, non expedire hoc Patriæ, repetiit tertium, tertium omnes reclamarunt. Additæ quin etiam voces, abstineret a jurando, ne regnaret potius, quam ita regnaret. Verum Basilius minis magis Electorum adductus, quam persuasus, tactis sacris, sacramento sese obstrinxit ad propositum, atque ita in Russiam Aristocratia irrepuit. Quos vero fructus nobis ille attulit? incredibile dictu est quanta damna exorta sint, & quanta pestis continuo quaquaversum sese effuderit. Ingruerat tunc bellum Polonicum, quid tum nostri? frustra quæsivisses consensum animorum frustra collata in commune consilia, frustra curam boni publici. At hostilis incursio instar agitati ventis incendii longe lateque pervolans, omnes prope imperii fines occupavit. Et eo ventum erat, ut plane actum esse de Republica videretur, et mirum

mirum eſt, non ſupremum tunc eam diem obiisſe, de ipſo autem ſemilibero illo rege quid ſit factum & vulgo notum eſt, & referre pudet.

Eya vero o cives! huc aures, huc mentes veſtras! cum prorſus deſtruiſſe nos videretur Deus, adhuc ſe oſtendit propitium! Alterum jam mortiferum vulnus, multiplex illa Dominatio Patriæ noſtræ inflixerat, altera quoque ſanatione opus fuit! & præſtitit eam miſericors numen, ſed non alio ullo remedio, præterquam altera item revocatione monarchiæ! Fecit hoc benigniſſimus rerum noſtrarum ſtator, cum Imperantis Dominæ noſtræ Proavo Michaeli Theodoridæ votis univerſi populi expetito imperare nobis mandavit, ipſique & ejus poſteris Monarchicam in Ruſſia poteſtatem innumerabilibus omnis conditionis civium ſuffragiis tradidit, uti palam teſtantur authentica acta, hactenus in tabulario Sacræ Synodi noſtræ conſervata.

Vt vero omnia iterum proſpere nobis procedere cœperunt, non jam ex Scriptoribus recitare, neceſſe eſt. Ipſi vos Cariſſimi Populares, voſmet ipſi confiteri poteſtis & debetis. Supervacuum foret exponere hæc ſcientibus videntibusque. Et vero cæcitatis argueremus Roxolanum hominem, cui ſtuderemus oſtendere, quæ & quanta per hoſce Potentiſſimos Monarchas Nationi noſtræ emolumenta obtigere. Quanta bonorum acceſſio facta eſt. Si forte quis novus adve-

advena & quidem ex ultimis terris, Iaponia aut Aethiopia vel illa tamdiu ignorata America ad nos perveniſſet, illi non niſi talia narrare oporteret: opumque noſtrarum affluentiam curſim raptimque quaſi intento digito demonſtrare, hiſce vel ſimilibus verbis: Anne vides hoſpes gratiſſime, quo ordine inſtruantur, qua bellandi peritia polleant exercitus noſtri? Quid autem cenſes de tutela finium, quam intrando advertiſti? quid de præſidiis urbium? cerne munitiones multas firmasque, ſpecta venientes, ſpecta abeuntes naves: ſpecta & æſtima bellicam apud nos claſſem; num quid ornatus, num quid vires ei ſuppetant? verte faciem, en tibi artificia varia; en domeſticas en extraneas merces & mercandi inſtituta. Mirare quoque ferrarias, ærarias, & argentarias. Intuere etiam jacta artium ſcientiarumque fundamenta. Præbebunt ſe tibi & leges iſtæ & Iudicum collegia, & data præcepta Iudicibus. Neque ſpernes putamus, Domos Aedesque Ruſſorum, ſeu commoda earum, ſeu pulchritudinem obſerves. Hoc præterea & imprimis quidem ſcire te volumus: contemptos nos antea ab aliis gentibus & parvi æſtimatos fuiſſe, jam caros factos eſſe, & dignos judicari, quibuscum illæ amicitiam colant, fœdera faciant, ſocietatem contrahant: quæ quidem omnia ſummis apud nos Rectoribus accepta ferimus. Ita quidem cum peregrino agendum eſſet. At nobis nihil reliqui eſt, niſi ut ſinamus quosvis, quibus lubet, diſputare

re de diversis civitatis formis, & alias aliis anteferant, per nos licet, justa vel iniqua licitatione. Apud nos hæc inquisitio prorsus est inutilis. Satis nos edocuere de bonis malisque nostris tot tantaque præteritorum temporum experimenta, satis id inculcarunt nobis rerum nostrarum mutationes, fortunæque vicissitudines. Quam conducat Russiæ ab uno principe gubernari. Habemus hac de re documentum centum annorum a Rurici videlicet imperio usque ad obitum Magni Wladimiri. Quam autem noceat concretus ex multis Magistratus, patuit hoc a morte Wladimiri, usque ad depulsam Tatarorum tyrannidem, per. annos quadringentos. Rursus ex illo tempore ducentorum & amplius annorum decursu ad nostram hanc ætatem abunde experti sumus, ut nos bene valemus, dum ab uno regimur. Turbaverat quidem posteriorem felicitatem hanc veluti horrida quædam procella simplicis Principatus sub Basilio Schuischio facta in compositum conversio; fugata autem est tempestas hæc non alia ratione, nisi redeuntis iterum splendore Monarchiæ.

Iam si ita nobis exploratum sit, unde Patriæ nostræ prospera fortuna, unde adversa veniat, ecquis non fatebitur mecum, religione nos obstringi, ne unquam deinceps tantam Dei, T. O. M. providentiam, qua Patriam nostram toties temere lapsam, toties benigne & sapienter erexit, oblivioni tradamus, sed potius perpetua memoria gratoque animo veneremur. Præclare Syracides humanum in ejusmodi casibus morem expressit:

Et

Et bonorum quidem dum mala ingruunt meminisse ipsa nos natura videtur cogere. Tunc enim bonæ valetudinis, ut hoc pro exemplo sumamus, pretium cognoscimus, quando eam amittimus. At meliore afflata aura, turbidi temporis oblivisci consuetudo est quidem, sed profecto prava & noxia. Stolidum hominem jure dixeris, qui in eandem foveam bis incidat, aut cibum potumve concupiscat, quo ante prope enectus fuit. Et nos tantam malorum Iliadem ex dissipato imperio toties experti, sinemus illa nostris animis excidere? aut etiam ultro ea expetemus? Quantus vero hic quoque stupor est, præsens bonum non sentire, sed ut illud suave sit, per amissionem velle experiri. Ecce enim non multis abhinc annis collibuerat quibusdam Schuischianam gubernationem quasi ex inferis revocare. Quid autem consequutum esset, si hoc esset plebeis etiam, quibus cor est, non est difficile divinare. Denuo tamen Benignissimus Servator noster pristina beneficia sua nobis repetiit, veteresque calamitates jam remeantes rejecit, atque Monarchiam apud nos moribundam recreavit, cum AVGVSTAE IMPERATRICI NOSTRAE ANNAE, solidum atque individuum gubernaculum concessit. Etiam vel in hac sola data nobis Principe luculenter demonstrat, in uno duntaxat capite vitam nobis, salutem, atque incolumitatem retineri, ex uno tantum fonte & commoda & decora fluere. Num quid anxia hic nobis incumbit indagatio quot dona a Moderatrice dextera ista, quæ utilitatum com-

compendia ab isto largo augustoque pectore, in singulos prope dies Russia percipiat? Fluxas res nostras stabilivit, caducum & fragilem Reipublicæ statum roboravit, salutares leges auxit, multis inque saluberrimis edictis multas noxas avertit, multa utilia intulit. Quæ præterea Illustria Petri Magni facta, per acta confirmavit, amissa restituit, & quæ ille inchoata veluti in subtegmine reliquerat, Hæres hæc PETRI dignissima perfecit jam alia, alia perficere contendit. Neque hic tamen substitit: Non enim satis sibi habet Magnanima Virago, reficere pristina perculsa, atque prostrata excitare, tangit cura ingens magna ejus præcordia incrementis etiam & novis utilitatum accessionibus juvare Patriam, si quid domi, si quid foris in usum hunc conspiciat. Testis est urbs hæc Regia, quæ magnifico in domicilio nobilis examen juventutis liberaliter mandato & sumptibus ejus educari & præter alia suspicienda artes bellicas edocere miratur. Testis est altera Regia Mosqua, quæ miris in diem substructionibus augescit & ornatur. Testis est universa Russia, quæ in omnibus fere partibus suis quotidie cultior & securior evadit, dum barbaries profligatur, latrocinia comprimuntur, rapinæ in judiciis, furta in omni loco extirpantur; militaris disciplina urgetur, egregia instituuntur artificia. Testis est Persia, quæ probe sentiens provida quam expetenda sociis Domina hæc est, non modo interiorem oram suam possidendam nobis libenter concedit, sed in fœdere quoque nobiscum icto tanquam

præ-

præcipuo ad frangendas Turcarum opes ſubſidio plurimum confidit: quæ certe res non tantum Ruſſiæ, verum etiam toti Chriſtiano orbi ſummopere eſt fructuoſa: Teſtis eſt Polonia, quæ vires noſtras Petri Magni exceſſu diminutas arbitrata, nec falſo jam Anna Regnante ſatis ſuperque auctas eſſe ſociali hoc bello percepit. Et dum ipſa factionibus ſuorum turbata, armis noſtrorum quieſcere compellitur. Nos etiam in tranquillo ſtatu relinquere cogitur. Teſtis eſt iterum & ſaepius Inclyta hæc Petropolis, quin etiam oculi nobismet noſtri teſtes ſunt; quanta hic quaquaverſus publica ferveant negotia, ſi reſpicias ad illas Rectorum curias, ad illa fora Judicum, ad ſubſellia Senatorum, ad Academiam & Gymnaſia, quæ omnia nova & meliore forma inſtructa ſunt, ſi mireris cum publicas, tum privatas ædes, & multas & magnificas quotidie ſurgere, ſi navalia muris circumdari cupiveris, ſtrepere navium ſtructuram perpetuo videas. Si arcem hanc, ſi illud grande in mari oppidum & adjecta ei ardua opera, ingentes moles molitionesque contempleris. Si paſſim per prata & plateas copias militares exerceri ut exercitus nomini ſuo reſpondeat ſuſpicias. Quid dicam de mandatis ex Regia identidem prodeuntibus, ex obſervatis in commune & privatim neceſſitatibus inſigniora ſaltem & præcipua tangimus: de revocando in caſtra fugitivo milite, de dilapſis extra fines incolis reducendis, de inſtaurandis templis, ſternendis viis publicis, in ſtruendis tranſitibus, pontibus,

portubus. Et hæc quidem Regalia ſunt. De præcavenda inpoſterum annonæ caritate, de ſublevandis agricolis preſſis inopia juvandis, orbis pupillisque fovendis, de plebe a plagiariis mendicanda: hæc utique ſunt plane Materna, quid illa de vagis flaminibus Monachis & Monialibus coercendis, de cohibenda deteſtabili ſymonia, de praedicando populis ſubditis ſed Chriſto non ſubjectis Evangelio, & in hunc uſum conſtruendis ſeminariis, iſta enimvero non immerito Apoſtolica dixeris: omnia certe & hæc & illa Chriſtiano Principe ſunt digniſſima.

Sed quorſum hæc perſequimur? Tune AVGVSTA POTENTISSIMA laudare, Te elogiis ornare ſatagimus? ſi hoc facimus, guttam mari aſpergimus. Sed neque aut optabile aut neceſſarium Tibi eſt, ut in laudes Tuas effundamur, ſi quæ enim alia virtus maxime bonorum Regum & inter Reges Tua potiſſimum ipſa ſibi pretium eſt, nec petit plauſu clareſcere vulgi, ſemet ipſa ſibi contenta, per ſe clara, ultro evidens, perſpicua, manifeſta, nec ſi opus ſit paucis verbis decora, Tua efferre liceat. quibus comprehendendis longi nonniſi commentarii ſufficerent. Id igitur ſolum agimus, ut quod hæc conceſſi Tibi a Deo regni ſolennia argumentum nobis ſuggerunt Tuis etiam factis tanquam vivis præſentibusque exemplis demonſtremus. Quam bene ſcilicet Patriæ noſtræ fortuna ex unius Principatu ſibi conſtet: præter graviſſimas rationes alias, præter antiqua documenta Tua hæc vel maxime Monarchia comprobat. Ergo Tibi hoc unum gratulamur, quod Te tanto dignam faſtigio ſupre-

ſupremus rerum Arbiter oſtenderit. At quod Te nobis imperare juſſerit nobismet ipſis gratulari debemus. Laudes ergo Tuæ boni noſtri præconia ſunt: quia Tuum regimen noſtra eſt felicitas.

At Vos, o cives Ruſſiæ, Filii Patriæ, Fratres noſtri chariſſimi, aſſiduo hoc expendite, ſedulo in pectore volvite, ut malus neſcio quis genius Rempublicam noſtram quoties in multa capita diſſolverat, in præceps egerit, atque ut eam Deus T. O. M. beatam effecerit, quoties in unius poteſtatem reduxerat. Inſuper dictorum a nobis bene memores, cogitate vobiscum, ſi ad ſæculi hujus pravitates, ſed ad exiguas boni publici curas, ad mutua odia, diſſidia, livores, ſimultates, injurias, ſi ad aliam populi peſtem tam proſperi ſtatus mutatio acceſſerit, nonne periimus? Deus meliora! Deus tanta a nobis in poſterum mala averruncet, & tam pravam nobis ſuboriri mentem ne unquam patiatur. Hæc nobis vota ſint deinceps, hæc deſideria, hæc perpetua eſto ad Majeſtatem ejus ſupplicatio.

Quod ut certius obtinere poſſimus, crebris & ardentiſſ. precibus ab eodem clementiſſimo Patre noſtro contendamus, ut hæc MAXIMA IMPERATRIX NOSTRA, in qua Roxolanam Monarchiam ipſe confirmavit, benigniſſimis effatis ejus, omnia feliciter agat, hoſtes vincat, ſeditioſos comprimat, probis ſubditis ſuis quam optime proſpiciat, ſociis opituletur, longam denique eamque lætam ſibi, lætam Familiæ ſuæ; lætam ac ſalutarem Reipublicæ ætatem tranſigat, Chriſto Duce & Auſpice Chriſto, Amen.

* *

AD

AVGVSTISSIMVM TOTIVS
ROSSIAE

IMPERATOREM
PETRVM SECVNDVM

CVM

MOSQVAM TENDERET INSIGNIA
REGNI CAPESSVRVS.

Contende felix, auſpice Numine
Quo te ſerenis nutibus evocat
Votiſque perducit Tuorum
PETRE decus columenque noſtrum.

Te Mosqua ſummo poſcit anhelitu
Sanctumque cæli conſilio, decus
Offerre feſtinat, tuæque
Læta parat diademma fronti.

Non te retardant ulla pericula
Quem fulminatrix ſpirituum phalanx
Cuſtode circumdat favore
Et Patriæ Charites ſequuntur.

Vides,

Vides, ut aucti fluminis in modum
Ad te videndum confluit undique
Gens Russa connitens & ardens
Ore tuo fieri beata.

Linquit Colonus grata mapalia
Mercator auri, provolat immemor
Et rura & abstrusi recessus
Et patulæ vacuantur urbes.

Mens & voluntas omnibus unica
Spectare tanti lumina PRINCIPIS
Cunctique tractus obsidentur
Et via fert speciem theatri.

Sic dum recepto ver vehit aureum
Calore Tytan, omne genus terræ
Et lustra & obscuras cavernas
Ante quibus latuere spernunt.

Quanto cupido fervidior capit
Te purpurato cernere, syrmate
In sede sublimem paterna
Imperii radiare luce!

Namque inde cunctas despicies plagas
Visurus atri si quid acerbius
Examen, & si quid meretur
Iudicium nivei lapilli.

Atque hic creantis gratia Spiritus
Dum Te reformat; judicis optimi
Exempla præſtabis, ſimulque
Et Domini ſpecimen benigni.

Tu juſtus ultor criminis horridi
Sævum vibratis fulmen in improbas
Primumque mores verſipelles
Fraudis & artifices fugatis.

Mox & innocentes arte calumnias
Mox & rapinas inſaciabiles
Conſtante mactabis repulſa
Atque animos reprimes ſuperbos.

At quos probabit ſimplicitas pia
Et ſancta Regi, ſancta Deo fides
Nos ſemper adjunctos miniſtros
Inque epulis ſocios habebis.

Sed turba vecors, & ſcelerum cohors
Intrare poſtes nec poterunt tuos
Quin, ut repurges civitatem
Exitio celeri dabuntur.

Ergo paternis fultus honoribus
Aſcende ſummæ culmina gloriæ
Virgamque regalem potenter
Ad regimen Patriæ capeſſe.

Refer-

Referre magnum, ſi placeat, PETRVM
A ſe relictis exprime regulis
Primoque reſponde ſecundus
Alter ut exoriare Magnus.

At tu perennis Chriſte Dieſpiter
Hæc vota, clemens ſint rata, præcipe
Et ſpe bona dictante Vates
Quæ canimus, fieri jubeto.

Occurrens canebat humilis Theophanes
Archiepiſcopꝰ Novogrodenſis A. MDCCXXVII.
ReX regVM Petro ſanCIVIt regna ſeCVnDo
nVnC DeCVs IMperII trIbVIt bonVs arbIter IpsI.

* *

DESCRIPTIO

SITVS VRBIS KIIOVIAE, QVOD NEMPE HAEC AB ORIENTE FLVVIO BORISTHENE ALLVITVR, AB OCCIDENTE VERO MONTIBVS TVMET, QVOD VNOQVOQVE DISTICHO BIS DECIES EXPRESSVM EST.

Amne Boristhenio ſonat urbs qua Lucifer exit:
Montibus aſſurgit, qua trahit umbra Diem.
Occiduas urbis cinxere cacumina partes:
Oppoſitum Aurora perluit unda latus.
Montibus objecta eſt ſero venit hæſperia unde:
Perſtrepit urbs fluvio Phosporus unde venit.
Vnda pulſantur primum ſpectantia Solem:
Hæſperiam verſus, mænia monte tenent.
Pars natat urbis aquas ſolem qua ſpectat Eoum:
Multus in occidua mons regione tumet.
Qua primos radio ſolis videt, imminet Amni:
Qua videt extremos urbs tenet alta juga.
Surgentem ſpectans ſolem urbs fremit amne propinquo:
Aſſurgit celſis quæ cadit ille jugis.
Solis ab exortu ferit unda Boristhenis urbem:
Mons, ſed ab occidua mænia parte tegit.
Prima natare Diem vicinis fluctibus urbem:
Vltima montoſum tergus habere videt.

Vnde Dies ſurgit, fluvius præterfluit vrbem:
Hæſperia multus parte tuetur apex.
Vndôſa eſt facies urbis, quæ ſpectat ad ortum:
Sed ſerum ſpectans eſt ſcopuloſa Diem.
Larga fluenta tenet, roſeum qua perſpicit ortum,
Vrbs ſed ab occaſu culmina montis habet.
Vnde venit Tytan allabitur ædibus amnis:
Montis conſurgunt culmina, quo ille cadit.
Ortum undoſa Diem videt urbs, ſed monte ſuperbit:
Qua videt occidui ſolis abire jubar.
Solis ad occaſum vertit terga ardua montis
Vrbs: orientalem ſed lavat amne plagam.
Mænia flumen adit, Tytan ſolet unde venire:
Mons obſtat, madidis mox venit unde rotis.
Tergus ad occaſum, faciem urbs conuertit ad ortum:
Hanc munit fluvius plurimus illud apex.
Montibus occiduo munita urbs clymate multis;
Currit ab Eoa plurima parte Tethis.
Surgenti Soli vicinum urbs objicit Amnem:
Occiduum ſuperat monte frequente Diem.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

ELEGIA
PARENETICA AD DISCIPVLVM DE SERVANDA VITAE INTEGRITATE.

Quæris inoffenſam poſſes ut ducere vitam:
Nil potuit votis dignius eſſe tuis.
Magna petis, ſed juſta tamen ſunt ardua; verum
Non petere hæc, labes ſumma gravisque nota eſt.
Eſt iter ambiguum, fragilis, fallaxque juventæ,
Nec locus eſt, certo quo pede ſtare potes:
Nec nos per dubias intactis mercibus undas
Currimus: heu multas abſtulit æſtus opes.
Crede, quod a proprio doctus tibi diſſerit uſus:
Non niſi ab experto diſcere rite licet.
Non vereor, ne forte meas contempſerit artes,
Quem totum monitis ſe dare cerno meis.
Mente igitur jugi reputa quæ ſæpe loquendo
Aſſidui longas duximus usque moras.
Erige depreſſi nutantia lumina cordis
Inque ipſum attonitus mittere fore Deum.
Atque animo verſa, quantum ſit robur in illo?
Quanta ſit illius gratia? quantus Amor?
Vtque potens, ſapiens, immenſus, juſtus opimus?
Vtque ſuum rapiat nulla ſenecta decus?

Quo

Quo numero cumulata tulit tibi munera, cerne,
Nil eſt, quod vitæ non dedit illæ tuæ.
Quid memorem? noſtros poſtquam pius induit artus,
Maxima cum fecit, maxima paſſus erat.
Exult inopsque diu proprioque extorris ab orbe:
Probroſa poſthac in trabe nudus obit.
O crudas hominum mentes? o pectora dura!
Hiccine deſpectu dignus habetur Amor?
Interea tanti frueris dum luce theatri
An cuncta in terris ſint tibi tuta vide.
Evita pravum ſocium cane pejus & angue;
Omnis ab hac vitium peſte juventa trahit.
Fæmineæ pariter longe commercia turbæ
Colloquiique ſui fœdera deme tibi.
Quin etiam cautos oculos avertere cura.
Plus quam vipereum ſpargitur inde virus;
Atque ad imum cordis penetrans per membraque fuſum
Devaſtat totum hæc rabida flamma decus.
Aut brevis aut nullus fiat tibi ſermo: nec ipſas
Hic quoque Plutonis crede deeſſe faces.
Nec ſolus verum digno cum teſte loquaris,
Lumina cuſtodes ſint aliena tibi.
Otia præterea caveas nimiosque lepores
Sic vaga mens raro, numen adire ſolet.
Immodicus qui jam, quæ fert incendia Bacchus
Neſciat? & largi grata venata meri?
Sed neque fortunæ male cautus crede faventi
Damna pudicitiæ ſuggerit iſte tumor.

Magna nec invideas alienæ gaudia ſortis
    Non poteris magni ſic meminiſſe Dei.
Cum tegat immenſos Majeſtas illa decores:
    Inde quod eſt præſens hoc magis omne placet.
Extremæ quatuor perpende negotia Sortis,
    Æterni effatum, conſiliumque Dei eſt.
Ante oculos ſemper verſetur triſte ſepulchrum
    Semper judicii, clangat in aure tuba.
Semper ſtet ſortis ratio diverſa perennis
    Hinc cæli facies igneus inde rogus.
Quo ruimus mortale genus, tantisne periclis
    Rerum, intercluſi, poſſumus eſſe mali.

* *

ELEGIA

ASCETICA FILII AD PARENTEM, A VITA MONASTICA AD CIVILEM SE SOLLICITANTEM.

Quid me ſollicitis retrahis Pater anxie votis?
Securum in tuto non ſinis eſſe loco.
Quo me cæce rapis! Quo tecum ignare viarum
Ibimus, errandi qua via crebra patet.
Scilicet, ut demens votum inviolabile frangam.
Et tantum patrio prodiit ore nefas.
Quid tandem eſt, quid me divina hac compede levat.
Et captum in mundi retia dura trahat.
Præſideas judex & vitam confer utramque
Hæc, citra dubium portus, at illa mare eſt,
Illic angorum curarumque æſtuat æquor,
Hic ſobriæ mentes hic manet alta quies.
Ambiguis illic dubiisque agitatur in undis,
Hic cum Zephiro morier ante ratis.
Vos ſtrepitus rumorque trucis circumvolat urbis,
Atque Animum juris non ſinit eſſe ſui.
Nos retinent tacitæ tranquilla ſilentia cellæ
Aut ſylvæ umbroſæ, pacificumque nemus.
Nos magni vates cinxere patresque diſerti
Vos curæ, magni nominis eſſe viros.

Nu-

Nutatis pavidi crebros atrocis ad ictus
Fortunæ, assiduo saucia corda metu.
Arbitrium cæcæ Dominæ contempsimus ultro
Ridemusque minas blanditiasque suas.
Quæso quid est, quid tanta pati vos tanta subire,
Et quid vos aliam cogit in ire viam.
Fluxum nescio, quid vobis & inane paratur?
Alternum nostra quæritur arte decus.
O quot te miserum est opus oblectare periclis,
Dum petitur vani parvus honoris apex.
O quantum trepidante jugum cervice ferendum est,
Principis offensus, dum reparatur amor.
Non ea mens nostri est, non hæc sunt pectora regis,
Dum pariet, facilis, dum dat opimus adest.
Quid memorem tristes casus, tragicasque querelas,
Quas subitas vobis ferre vel hora potest,
Nos quoque ploramus, sed quam diversus ab illo,
Hic dolor est, dici si dolor iste potest.
Flemus, ut æternæ mereamur gaudia vitæ,
Fletis, quod læti præteriere dies.
Interea propius male cauti acceditis orco,
Et teritis diræ limina mæsta domus.
At nos prospicimus plenis cæli atria votis,
Firmaque spes magni stat pietate Dei.

ADDV-

ADDVCTIO
ANGLICANAE EPISCOPALIS ECCLESIAE MINISTRI, VIRI DOCTISSIMI SVMMEQVE REVERENDI

DOMINI

MICHAELIS FRANCISCI MALARDI,

AD ORIENTALES GRAECO ROSSIACAE VERE ORTHODOXAE APOSTOLICAE ECCLESIAE PROFESSIONEM.

PER ILLVSTRISSIMVM REVERENDISSIMVM

DOMINVM THEOPHANEM,

ARCHIEPISCOPVM NOVOGRODENSEM ET SANCTISSIMAE SYNODI PRAESIDENTEM PETROPOLI

MDCCXXXIII.

VIRO DOCTISSIMO MICHAELI FRANCISCO MALARDO

THEOPHANES ARCHIEPISCOPVS NOVOGRODENSIS,

SALVTEM IN CHRISTO PRECATVR.

Pridem ego in animum induxeram, ut Tecum venerabilis Malarde de ipſa admiſſione tui ad Eccleſiam orientalem ſermonem meum communicarem: Quod diem ex die aſſidue ducens hucusque diſtuli. Erit tamen tui ingenii humanitatisque, ne ſiniſtram de me concipias mentem, delationemque iſtam cave deſpectum putes. Multa eaque gravia officia, quæ me reſpirare vix ſinunt, in cauſa ſunt. Hæc non infrequenter propoſitum oblivioni tradunt, nec id ſolum, verum eum ipſum qui definit aliorſum abducunt. Quibus dum quotidie diſtrahor, ne nunc quidem commodum tempus ad id reperiſſe me ingenue fateor. Etenim multa præter ſpem eveniunt,

quæ ſecum impedimenta trahunt, quominus præſens præſentem alloquamur. Id circo commodius per literas, quod oretenus cupiebam facere decrevi. Id autem hoc eſt, ut deſiderium tuum planius nobis facias, eccleſiamque noſtram ad alacriorem ſincerioremque amplexum, ejusmodi proſelyti incites: non abs re videtur, ex officio noſtro neceſſaria quædam nos inter romanosque & proteſtantes contraria dogmata tibi ſiſtere, & a te, quod firmius ad expugnanda ſchiſmata illa habes (de quo nullus dubito) amiciſſime comperire geſtio, ex ſerie ſequentium.

I. De proceſſione Spiritus Sancti, quod dogma Græcos inter & Romanenſes tanti ſchiſmatis initium præbuit.

II. De primatu Romani Epiſcopi, quantum qualemque illi ſibi vendicat.

III. De prædeſtinatione quam Proteſtantium Eccleſia mordicus tuetur & defendit, quam ut nos ſuſcipiamus, nunquam perſuadere nobis poſſumus.

IV. De invocatione ſanctorum, quæ æque ab orientalibus, ac occidentalibus ita vocatis Romano-catholicis ſuſcipitur.

V. De cultu imaginum, quale de hoc judicium fertis.

VI. De ordine Epiſcopatus, & ejus ſucceſſionis neceſſitate.

VII. De Purgatorio, quod nos extra limites Eccleſiæ noſtræ odio proſequentes amandamus, quamvis pro defunctis oramus.

VIII.

VIII. De Sacramento Euchariſtiæ, quid per ſe eſt, & de ejus communicatione.

Hæc ſunt de quibus te venerabilis Malarde interrogo, non ita, quaſi neſciremus alia adhuc ſchiſmata ejusmodi ſupereſſe; ſed quod iſta aliis notiora, ad quæ ut reſpondeatur conveniens videtur eſſe. Quæ autem pro unoquoque horum noſtræ Eccleſiæ Græcæ habentur, argumenta, ejus vero adverſariorum exceptiones & rejectiones, cujus enim quacunque oppoſita ex parte magis nos arguunt: & a nobis quomodo adverſariorum oppoſita legitime everti debent. Si tu vir doctiſſime, clara ſolutione id nobis, de quo minime dubitamus, demonſtrare non gravaberis, (breviter modo, quibus major vis inſit, collectis) næ opus ſicut laudatiſſimo, quod aperis, propoſito tuo, ita noſtræ expectationi valde congruum perficies. Quo non tantum hunc tuum ad nos adventum ſincerrimum & orthodoxum, nullique ſuſpicioni obnoxium probabis, verum etiam nos ipſos, ad quos venis, vel ipſo adventu confirmas, inſuper invictis orthodoxæ fidei argumentis corroboraturus es. Cæterum hoc a te frater dilectiſſime, exſpectans ſe ipſum ſimulque tuum hoc ſalutare opus, creatori & aſſertori ſalutis noſtræ Chriſto Domino toto animi affectu commendo. Vale.

Dabam Petropoli Septembris die 9 anno Chriſti 1733.

* *

ILLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
PATRI
IN CHRISTO DOMINO
THEOPHANI
ARCHIEPISCOPO NOVOGRODENSI.

REVERENDISSIME
AC
PRAESTANTISSIME ANTISTES.

Quæ veſtra requirit a me Eminentia in ſua Epiſtola nuper ad me ſcripta, tam juſto & æquo congrua ſunt, ut libenti animo ad omnia Religionis puncta in ea contenta, juvante Deo reponſurus ſim. Verum priusquam incipiam, non alienum fore mihi videtur Eminentiæ veſtræ in univerſum declarare; quod cum animadvertiſſem divina illuminatus gratia, Eccleſiam Anglicanam Epiſcopalem, cujus miniſter eram novam eſſe Eccleſiam; ubi etiam cæteras proteſtantes Eccleſias, ſive Calviniſticas, ſive Lutheranas, Romana Eccleſia nullatenus excepta, licet ſupradictis vetuſtiori, ſed nihilominus Græca juniori, (quod quidem unum ſuffi-

ſufficit, ad probandam earundem falſitatem, ſi Græcam excipias) tunc temporis ſtatuerim me, orthodoxam amplexurum eccleſiam, ac me in ea reliquum vitæ conſumturum, ut & Deo placere, & meam ſalutem conſequi poſſem. Sed antequam conſilium exequerer, ulterius ac mature perpendi, quinam eſſent errores Proteſtantis Eccleſiæ, tum presbyterianæ, cum Epiſcopalis, nec non Romanæ. Protinus intellexi eas Proteſtantes, ſeu Reformatas Eccleſias, non ſolum rejicere Chriſti realem, ſubſtantialem, atque ſpiritualem præſentiam in ſacramento Euchariſtiæ [a], una cum ſacramentali confeſſione [b], verum etiam ſacramentum extremæ unctionis [c]. Quamvis hæc tria ſacramenta expreſſis verbis in Scriptura Sacra inveniantur. Ut videre eſt inferius in tribus locis ſupra dictis literis deſignatis. Animadverti etiam easdem Eccleſias reformatas admittere nolle externum honorem religioſum & reſpectum Chriſto reipſa debitum, ob hanc unicam rationem, quod ejus humanitati naturæ divinæ ſubſtantialiter unitæ, minime exhiberi poſſint ſupra terram, utpote in ea non amplius viſibili, proindeque exhibendos in ejus repræſentatione, hoc eſt, in ejus depicta vel ſculpta imagine. Idem quoque de beata virgine Maria, Deipara dici poteſt. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum peccata retinueri-

a) Matth. c. 26. v. 26. 27. 28. Marc. c. 14. v. 22. 24. Ioan. c. 6. v. 53. 55. 63. 1 Cor. c. 10. v. 16.

b) Ioan. c. 20. v. 23. c) Iac. c. 5. v. 14. 15.

tis, retenta ſunt; atqui a ſacerdote peccata retineri non poſſunt, niſi ipſi a pœnitente declarentur, (a Pœnitente.) Ergo pœnitens tenetur declarare ſua peccata ſacerdoti, ut retineantur vel remittantur, ubi etiam de ſanctis, quatenus Dei miniſtris, ſervis, et amicis; potisſimum ob ſupernaturalem eorum creatam excellentiam, quandoquidem gratia Chriſti in ipſis habitaverit, totamque vitam Spiritus Sancti viventia fuere templa. Præterquam quod varii illi cultus ad Deum referantur, ſicque Deus proprie loquendo colatur, non modo in ſe ipſo, verum etiam in ſanctis ſuis, cæterumque horum prototyporum imagines ornatui ſunt domui Dei, non dicam Eccleſiis, nobisque Chriſtum, Beatam Virginem, & Sanctos in iis repræſentatos, in memoriam revocent, ut corda noſtra ſurſum attollamus. Quod ſane muta eſt exhortatio fidelibus Chriſtianis, ac ſimul incitamentum ad eorum virtutes imitandas, ut aliquando cum ipſis in cælo regnare posſint.

Aliud Proteſtantium genus, nomine Tremulorum omitto, qui baptiſmum inſuper negant contra formalia Evangelii verba ſuper hunc articulum [d]. Huc adde Proteſtantes, præter multos errores, quos taceo, ſequentes libros, ut apocryphos rejicere; videlicet primum & ſecundum Esdræ Librum, Tobiam, Iuditham, Eſtheram, Salomonis Sapientiam, Eccleſiaſticum, Baruchum, Suſannam, Hiſtoriam de Belo & Dracone,

d) Ioan. c. 3. v. 5. Matth. c. 28. v. 19. Marc. c. 16. v. 16.

cone, nec non orationem Manaſſis cum primo & ſecundo Maccabæorum Libro. Quæ pariter approbare non poteram; quoniam in iis eundem ſtylum eandemque altitudinem, quam in aliis veteris Teſtamenti libris inveni: imo & ipſum Esdram, quoad miracula, viſiones, & apparitiones, ſicuti etiam Salomonis, cum Eccleſiaſtico, quantum ad moralia, cæteros libros vulgo dictos canonicos antecellere. Si enim alius a Spiritu Sancto fuiſſet ipſis autor eorum ſtylus fuiſſet diverſus ab eo, qui in aliis ab ipſis Canonicis vocatis obſervatur. Neque ipſimet libri tam profundi eſſent, ac tam pii, nec eorum moralis doctrina adeo bona atque divina. Ut paucis complectar, iidem characteres Divinitatis, ac ſanctitatis in iis cernuntur, qui in aliis. Unde concludendum eſt, eos tam canonicos eſſe, quam cæteri. Neque contradictiones, quas proteſtantes, in iis ſe reperire contendunt, eos in apocryphos mutare queunt, utpote apparentes duntaxat & extrinſecas, non autem reales & intrinſecas.

Animadverti præterea Romanam Eccleſiam aſſerere Pontificem ſuum infallibilem eſſe & Chriſti vicarium in terra, in quo uno, reſidet omnis poteſtas ſpiritualis, quam ipſe unus communicat omnibus iis, qui a Pontificiis Epiſcopis ordinantur presbyteri; ad hæc inſuper addentem, quemlibet in fide & doctrina disſidentem ab eo, damnatum iri, & extra Eccleſiam verſari. Quamobrem falſam dant Eccleſiæ definitionem, ut

omnes iſtos errores populis perſuadeant, dicentes Eccleſiam eſſe cœtum fidelium Chriſtianorum inter ſe unitorum ſub uno ſupremo paſtore, ſuo ſancto Patre Papa, Vicario Ieſu Chriſti in terra. Quod ne quidem probatum, ſed & omnino contrarium eſt verbo Divino. Imo ſanctus Paulus Apoſtolus cunctas dignitates Eccleſiaſticas enumerans, Papam & Papatum excluſit, nulla de alterutro mentione facta [e]. Conſideravi quoque eandem Eccleſiam purgatorium admittere: quamvis nullum omnino in Scriptura Sacra reperiatur, quae contra affirmat ipſum Chriſti ſanguinem animas noſtras ab omni peccato purgare atque abluere [f]. Cui aſſentitur ſanctus Auguſtinus in ſuo ſermone de æternitate, dicens: duo loca poſt hanc vitam agnoſcimus, in quibus animæ beatæ ſunt, vel patiuntur, ſed nullum tertium: nimirum Paradiſum & infernum. Animadverti etiam Sacramentum Euchariſtiæ in ea infantibus minime adminiſtrari adverſus ea Scripturæ verba: niſi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: licet illos baptizent propter hæc verba: niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum cœlorum [g]. Tametſi non eſt potior ratio de uno quam de altero, his duabus elocutionibus eandem vim utrinque habentibus. Quibus addi poteſt, me ipſum in Hiſto-

e) Epheſ. c. 4. v. 11. 12. 13. 1 Cor. c. 12. v. 28.
f) Hebr. c. 9. v. 14. Hebr. c. 1. v. 3. Tit. c. 3. v. 5.
g) Ioan. 6. v. 53. Ioan. c. 3. v. 5.

Historia Ecclesiastica legisse sacerdotes in primitiva Ecclesia communionem puerulis præbere solitos fuisse.

Nec me fugiebat etiam Papam matrimonium Diaconis & Presbyteris sæcularibus interdixisse, invitis sancti Pauli ac Scripturæ verbis [h]. Quo factum est, ut causa fuerit eorum transgressionis legis divinæ, siquidem ut Papæ mandatum servarent, divinum non servaverint, quo peccatum impudicitiæ prohibetur. Hinc generalis corruptio totius cleri Romani Sæcularis orta est; ac proinde Papistarum Laicorum tum divitum, tum nobilium, quibus religio non est eos imitari, qui, & virtutis exemplum eis præbere, & mundi lumen esse tenentur [i]. Præterea certissime sciebam, Papam supremum Romæ Dominum ibi patrocinari fornificationi lege civili. Licet a Scriptura Sacra condemnata sit, veluti peccatum a regno cœlorum excludens [k]. Nec ab ullo supremo Principe, aut lege humana, vel Ecclesiastica, licitum effici possit, quod lege divina prohibitum est. Id adeo verum est, ut novæ istæ veneres vi legis & jussu Magistratus eos in carcerem detrudant, qui promissam sibi mercedem & perpetrandum impuritatis peccatum non solvunt. Quin fit ut venientibus ad se corporis usum dare fide nullatenus graventur, dummodo eos noverint: cum certæ sint, eos sibi debitum soluturos, non minus,

h) 1 Cor. c. 7. v. 1. 2. 9. Hebr. c. 13. v. 4.
i) 1 Petr. c. 1. v. 15. Matth. c. 5. v. 14.
k) Ephes. c. 5. v. 5. 1 Cor. c. 6. v. 9. 10.

nus, quam quodvis aliud, alioquin se eos ad id auctoritate civili compulsuras.

Quin etiam animadverteram I. Communionem a Laicis in ea sub una tantum specie administrari, quamvis dictum fuerit ex eo bibite omnes [l], quasi vero se Deo & prima Ecclesia nimirum Græca sapientiores esse putent: imo licet idem contrarium sit primorum Christianorum Sacerdotum praxi, qui non putabant se tuta conscientia mediam tantum partem hujusce Sacramenti administrare posse.

II. Crustulum ad conficiendum hoc Sacramentum adhiberi, quamvis essentialis materia ejusdem Sacramenti sit panis fermentatus juxta Scripturam Sacram; qui quidem solus cum vino perfectum spirituale nutrimentum corporis & Sangvinis Christi nobis in eo exhibitum repræsentat. Cum enim crustulum non nutriat Corpus aut saltem perquam imperfecte id præstet, id crustuli probaret Corpus Christi non alere animam vel saltem eam eo perquam imperfecte ali. Adde, quod cum agitur de pane azymo, Scriptura Sacra eum formaliter nominat [m]. Quod nullibi præstitit respectu hujus Sacramenti, simpliciter vocans ejus materiam panem. Cum e contra tale crustulum nequidem panis azymus sit, neque fermentatus. Sed tantum quod-

l) Math. c. 26. v. 27.

m) Marc. c. 14. v. 22. Luc. c. 24. v. 30. Act. c. 2. v. 42. Exod. c. 12. v. 8. 15. 2 Reg. c. 23. v. 9. Act. c. 20. v. 6. 7. 11. Act. c. 12. v. 3.

quoddam opus pistorium, seu placentæ species, qua nunquam Christus vel Apostoli usi fuerunt, ut patet ex novo Testamento.

III. Lectionem Scripturæ Laicis prohiberi, quamvis fidelibus in ea præcipiatur, ut illam legant, & in ipsa meditentur singulis diebus vitæ suæ, in solatium animarum & legis divinæ observationem [n]. Hæresque jus habeat legendi Testamentum Patris, ut sciat quid sit in eo datum sibi, quibusve conditionibus.

IV. Obsequium, id est, Servitium Divinum; in ea performari lingua populo ignota, nempe Latina adversus expressam divi Pauli prohibitionem [o]. Adjice, quod fideles nullum fructum ex Epistola & Evangelico in Ecclesia lectis ad ipsorum consolationem & instructionem percipere possint; cum eam non intelligant linguam, præsertim Plebs & Agricolæ, eorumque Filii & Filiæ.

V. Sacramentum quoddam in eadem Ecclesia institutum fuisse nullibi in novo repertum Testamento, videlicet Sacramentum subdiaconatus, aliter subdiaconatus ordinem nuncupatum, producens gratiam Christi ex opere operato vi institutionis Divinæ, si illis credere velis. Hunc ordinem quæras amabo in Scriptura Sacra, nullum alium invenies, quam Episcopatum, Presbytera-

n) Coloss. c. 4. v. 16. 1 Thess. c. 5. v. 27. 2 Reg. c. 23. v. 2. Actor. c. 8. v. 28. 30. Rom. c. 15. v. 4. 2 Cor. c. 3. v. 14. Iosiæ c. 1. v. 8.

o) 1 Cor. c. 14. v. 14. 15. 16.

teratum, & Diaconatum. Nihilominus, qui hoc initiatus est ordine, nunquam matrimonium inire, vel in laicum statum redire potest: nec absque illo publicum Divinum servitium matutinum perfici potest. In Cathedralibus, Canonicis, & Collegialibus Ecclesiis neque etiam quotiescunque Diaconus adhibetur.

VI. Sacerdotes ejus per aspersionem baptizare tenerum infantem, at adultos ad baptizandum adductos una aquæ guttula, vel duabus tangendo, licet Christus & Eunuchus per immersionem baptizati fuerint [p]. Prior a Ioanne Baptista, posterior autem a divo Philippo: idque hoc modo observaretur in primitiva Ecclesia. Quod confirmatur facto Constantini Copronymi, quod factum Papistæ & Reformati agnoscunt esse verum, ac etiamnum typis mandatum reperitur. Tandem ferre non valebam supremum Papæ primatum super Christianos Episcopos & Archiepiscopos ab ipso usurpatum, ipsique a fautoribus ejus concessum: tametsi probe sciant, cunctos a Christo Apostolos inter se æquales asseri [q]. Sicuti etiam quinque asseruntur Patriarchæ fuisse Primitivæ Ecclesiæ, quorum postremus erat omnium Episcopus Romæ. Neque me latebat, divum Petrum nunquam habuisse supremum Dominium supra cæteros Apostolos: Sanctum Paulum de circumcisione illum reprehendisse [r]. Imo ipsum

p) Math. c. 3. v. 16. 13. Act. c. 8. v. 36. 38. 39.
q) Math. c. 20. v. 25. 26. Luc. c. 22. v. 25. 26.
r) Gal. c. 2. v. 11. 12. 13. 14. Act. c. 8. v. 14.

ipſum ab aliis Apoſtolis ex Civitate Hieroſolyma in urbem Samariam miſſum fuiſſe. Quandoquidem Romani Epiſcopi in præſentiam præſtare non auderent erga Papam; nec illis hac in re obtemperare vellet. Quin etiam ipſemet Hieronymus auditis Epiſcopi Romani nunc Papæ dicti ambitione, faſtu, atque prava intentione, aſperrimam ad eum ſcripſit Epiſtolam, in qua ſignificabat ei, ni deſiſteret a propoſito, ſed vellet hunc ſuperbum Epiſcopi univerſalis Titulum ſibi arrogare, eum procul dubio Antichriſti Præcurſorem fore. Nihilominus Papa cum aſſeclis ſuis omnes iſtos errores in Tridentino Concilio confirmavit, timens, ne, ſi unum duntaxat errorem retractaret, Proteſtantes ipſiusmet Confeſſione probarent eum erraſſe, perinde ac ejus Eccleſiam, eumque fallibilem eſſe, ac proinde cæteros omnes ejus errores examinandos: Sicque ejus temporalis Monarchia, quæ ipſum tam opulentum & potentem efficiebat, rueret, & ipſemet hoc pacto ſuas omnes omitteret opes. Quo quidem affirmavit veritatem horum Chriſti verborum aſſerentis: difficilius eſſe Diviti intrare in regnum Cælorum, quam Camelo per acus foramen tranſire[s]. Complures alios errores in Eccleſia Proteſtanti & Romana repertos prætermitto, ut jejunium in Scriptura aſſertum[t], a Proteſtanti Eccleſia eradicatum, & Romana mutatum, Epi-

s) Math. c. 19. v. 24.
t) Marc. c. 2. v. 20. Math. c. 17. v. 21. 1 Cor. c. 7. v. 5. Math. c. 4. v. 2. Tob. c. 12. v. 8. 2 Cor. cap. 11. v. 27.

Episcopatum, ab Ecclesia Protestanti Presbyteriana rejectum; Schisma Romanæ Ecclesiæ &c. His paucis erroribus hactenus a me recensitis, sufficientibus a me judicatis, ut ex heresi exirem. Potissimum quia Sanctus Iacobus nobis dicit in sua Epistola: qui peccat in uno articulo legis, factus est omnium reus ᵘ.

Præterquam quod Dominus Bartholomæus Cassano me certum fecisset, de vestra Ecclesia, non tenente, quæ in Protestanti & Romana condemnabam, cui respondi. Græcam igitur Ecclesiam solam esse veram Christi Ecclesiam. Cui rursum respondi eam esse primam & Matrem Romanæ, quæ adversus ipsam rebellaverat; nec eam quidquam addidisse vel subtraxisse a doctrina, quam a Christo & ab Apostolis acceperat: Cum e contra Romana Ecclesia Christi Ecclesiam mutaverat & corruperat, & Protestans in sua reformatione aberraverat, uti probe sibi probaveram. Quæ quidem verba mihi placuerunt. Iam dudum enim cor mihi dictabat, Ecclesiam Græcam veram esse Christi Ecclesiam. Deumque precabar quotidie, tanta visa controversia & divisione in Ecclesiis Christianis, ut suam mihi voluntatem notam faceret; qui eam supra Terram adimplere possem.

Vt paucis loquar, Danielis Prophetia asserentis Regnum Messiæ fore æternum, Sanctique Lucæ verba dicentis Christi Regnum finem non habitu-

u) Iac. c. 2. v. 10. Math. 28. v. 20.

biturum [v]. Præ cæteris in animum induxerunt, ut intelligerem, neutram ex his duabus Ecclesiis, videlicet Protestanti & Papistica, veram esse Christi Ecclesiam: quia cum in 15. Sæculo initium habuisset, hæc autem inceperit 6. ope immensæ potestatis ab Imperatore Phoca Papæ concessæ: inde sequeretur, si alterutra vera est Christi Ecclesia, nullam fuisse veram Christi Ecclesiam supra terram ante Constitutionem Ecclesiæ Papisticæ, vel ante positionem Protestantis, sicque Ecclesiam Christi finem habuisse. Hæc enim loca de æterno Christi Regno in cælo nullatenus intelliguntur; Cum in eo sensu justorum regnum sit quoque æternum: verum de futuro Christi regno in Ecclesia, quæ nullam admitteret intermissionem, quamdiu mundus staret.

Objiciunt Ecclesiam Christi invisibilem, hoc est Ecclesiam Prædestinatorum stetisse super terram, proindeque Christi Regni non fuisse finem, quamvis Ecclesia Christi visibilis erraverit & perierit ante Lutherum & Calvinum. Quibus respondeo nullam reperiri invisibilem Christi Ecclesiam in Scriptura Sacra, præter cælestem in Cælo commorantem; neque ullam esse invisibilem Christi Ecclesiam super terram. Quia prædestinati non possunt formare Ecclesiam. Cum Ecclesia sit cætus fidelium inter quos verbum Divinum & Sacramenta pure administrarentur; Nec illi Prædestinati possint cætum formare seu

M Con-

v) Dan. c. 7. v. 14. 27. Luc. c. 1. v. 33.

Episcopatum, ab Ecclesia Protestanti Presbyteriana rejectum; Schisma Romanæ Ecclesiæ &c. His paucis erroribus hactenus a me recensitis, sufficientibus a me judicatis, ut ex heresi exirem. Potissimum quia Sanctus Iacobus nobis dicit in sua Epistola: qui peccat in uno articulo legis, factus est omnium reus ".

Præterquam quod Dominus Bartholomæus Cassano me certum fecisset, de vestra Ecclesia, non tenente, quæ in Protestanti & Romana condemnabam, cui respondi. Græcam igitur Ecclesiam solam esse veram Christi Ecclesiam. Cui rursum respondi eam esse primam & Matrem Romanæ, quæ adversus ipsam rebellaverat; nec eam quidquam addidisse vel subtraxisse a doctrina, quam a Christo & ab Apostolis acceperat: Cum e contra Romana Ecclesia Christi Ecclesiam mutaverat & corruperat, & Protestans in sua reformatione aberraverat, uti probe sibi probaveram. Quæ quidem verba mihi placuerunt. Iam dudum enim cor mihi dictabat, Ecclesiam Græcam veram esse Christi Ecclesiam. Deumque precabar quotidie, tanta visa controversia & divisione in Ecclesiis Christianis, ut suam mihi voluntatem notam faceret; qui eam supra Terram adimplere possem.

Vt paucis loquar, Danielis Prophetia asserentis Regnum Messiæ fore æternum, Sanctique Lucæ verba dicentis Christi Regnum finem non habitu-

u) Iac. c. 2. v. 10. Math. 28. v. 20.

biturum[v]. Præ cæteris in animum induxerunt, ut intelligerem, neutram ex his duabus Ecclesiis, videlicet Protestanti & Papistica, veram esse Christi Ecclesiam: quia cum in 15. Sæculo initium habuisset, hæc autem inceperit 6. ope immensæ potestatis ab Imperatore Phoca Papæ concessæ: inde sequeretur, si alterutra vera est Christi Ecclesia, nullam fuisse veram Christi Ecclesiam supra terram ante Constitutionem Ecclesiæ Papisticæ, vel ante positionem Protestantis, sicque Ecclesiam Christi finem habuisse. Hæc enim loca de æterno Christi Regno in cælo nullatenus intelliguntur; Cum in eo sensu justorum regnum sit quoque æternum: verum de futuro Christi regno in Ecclesia, quæ nullam admitteret intermissionem, quamdiu mundus staret.

Objiciunt Ecclesiam Christi invisibilem, hoc est Ecclesiam Prædestinatorum stetisse super terram, proindeque Christi Regni non fuisse finem, quamvis Ecclesia Christi visibilis erraverit & perierit ante Lutherum & Calvinum. Quibus respondeo nullam reperiri invisibilem Christi Ecclesiam in Scriptura Sacra, præter cælestem in Cælo commorantem; neque ullam esse invisibilem Christi Ecclesiam super terram. Quia prædestinati non possunt formare Ecclesiam. Cum Ecclesia sit cætus fidelium inter quos verbum Divinum & Sacramenta pure administrarentur; Nec illi Prædestinati possint cætum formare seu

M Con-

v) Dan. c. 7. v. 14. 27. Luc. c. 1. v. 33.

Congregationem: quia non possunt congregari ad ullum finem, nec ullatenus, eo quod nesciant, utrum ipsimet prædestinati sint ad gloriam, nec ullus ex his sciat, quis prædestinatus sit, seu electus ad gloriam. Quamobrem inter se solos congregari non possunt ad formandam Ecclesiam seu cœtum. Sed sunt invisibilia membra Ecclesiæ quatenus prædestinati & reprobi, invisibilia membra Ecclesiæ, quatenus reprobi, quia nesciunt in hoc mundo, utrum reprobi futuri sint nec ne; Ecclesia quippe mixta est bonis & malis, prædestinatis & reprobis, quos nemo novit, neque ipsimet quidquam sciunt de suamet ipsius vel alterius prædestinatione, aut reprobatione ante mortem. Vnde concludendum est, talem Ecclesiam invisibilem super terram esse Lutheri & Calvini figmentum ad decipiendum omnes veros Christianos, ac se vindicandos de Ecclesia Romana, utpote minime contenti de ea. Quam quidem sciebant esse schismaticam, hæreticam, & corruptam in multis fidei articulis, nec non in praxi tempore Apostolorum usitata. Quapropter illam odio habentes everterunt, quantum in se fuit, tum propter temporale emolumentum, tum propter Matrimonium ipsis prohibitum ineundum, nec non libertatem tum in Spiritualibus, tum in temporalibus, assequendam, & commodiorem vitam peragendam. Præterquam quod oderant Episcopos, nec illis obsequi volebant. Præterea si

nulla

nulla fuerit Ecclesia visibilis Christi supra terram, a 6. usque ad 15 Sæculum, uti Reformati asserunt, hoc est ante adventum Lutheri & Calvini; omnibus illis dico ac evidenter probo, quod cum Ecclesia Christi primum stabilita fuerit miraculis, ita & restauratio illius, supra terram, post tam diuturnam ejus cessationem, ne dicam destructionem, vulgo nuncupata reformatio, miraculis stabilienda fuisset: ipsique restauratores ejusdem Ecclesiæ dicti reformatores miraculorum dono induti fuissent, sicut primi Patres Ecclesiæ, ut sic toti terrarum orbi innotuisset, hujuscemodi reformationem non esse opus humanum, sed divinum, novamque Lutheri & Calvini doctrinam esse conformem veritati & antiquitati. Ast nullum unquam miraculum ab ipsis patratum, ergo reformatio Calvini & Lutheri est opus humanum non divinum: præsertim cum inter se non concordaverint in sua doctrina, sicut Apostoli concordarunt in sua. Nam alter alteri contradixit, sicuti etiam eorum Ecclesiæ, quæ numero habentur septem, sibi invicem etiamnum contradicunt: nimirum Ecclesia Lutherana Presbyteriana, Ecclesia Lutherana Episcopalis, Ecclesia Calvinistica Presbyteriana, Ecclesia Calvinistica Episcopalis, Ecclesia Tremulorum, Anabaptistarum, & Socinianorum. Vnde concludendum est, eorum Reformationem non esse opus Spiritus Sancti, qui sibi non contradicit; sed humani ingenii, a privato temporali

commodo & summæ libertatis desiderio genitam: Cui universalis totius Cleri Romani corruptio locum dedit.

Similiter locus ille divi Petri affirmantis Scripturam non esse privatæ interpretationis[x]: Hoc est interpretationem & sensum Scripturæ ad privatam personam non pertinere, sed tantum ad Ecclesiam, meos aperuit oculos super errores, tum Lutheranos cum Calvinisticos.

Cum enim Lutherus & Calvinus sint privati homines, qui Scripturam pro arbitrio & judicio in gratiam reformationis suæ interpretati sunt. Conclusi eorum interpretationem falsam esse, præsertim cum ecclesia ipsis contradixerit.

Item Papa cum sit privatus homo, qui Scripturam interpretatus fuit modo plane contrario Ecclesiæ Græcæ, quæ prima erat & orthodoxa, ejus Sectatores Ecclesia Romana vocati, qui ejus interpretationem & decisiones in rebus ad finem spectantibus secuti sunt, privati quoque hominis interpretationem secuti sunt, cujus non est decidendo ultimum Scripturam interpretari, aut verum ac genuinum illius sensum dare: nisi eundem Ecclesiæ interpretationi subjiciat. Quod Papa nunquam præstare voluit. Hinc sequitur tum Protestantem, Calvinisticam & Lutheranam Ecclesiam, tum Romanam, cum falsæ sint ecclesiæ & extra ecclesiam, quæ est ipsa Græca, potestatem Spiritualem, quam a vera Ecclesia, tanquam

x) 2 Petr. c. 1. v. 20.

quam ab origine & fonte deducebant, amisisse; in primis cum eam sibi schismate & contumacia abscinderint, & ab eadem Ecclesia excommunicante, atque anathemate percussæ fuerint. Ex quo patet, nullam veram in hujusmodi Ecclesiis inesse ordinationem, nec earum Sacramenta producere gratiam Christi defectu spiritualis potestatis in earum Episcopis requisitæ ad ordinandum presbyteros, & in sacerdotibus ad Sacramenta valide conficienda. Quibus addi potest in iis successionem doctrinæ atque episcoporum non inveniri, quippe qui carent orthodoxa primæ Ecclesiæ doctrina, nec habent orthodoxam primorum Episcoporum fidem.

Nunc autem, ut sigillatim singulis a vestra eminentia capitibus mihi propositis respondeam, illico dicturus sum, quantum ad primum quod ad Spiritus Sancti processionem spectat, eum a solo Patre procedere [y].

Quia quemadmodum Deus cognoscendo se ab æterno tempore producit imaginem substantialem infinitam ipsum repræsentantem Filium, & secundam SS. Trinitatis personam nuncupatam; ita etiam Deus amando se ab æterno producit terminum, seu pondus substantiale infinitum, quod ipsum ad se svaviter trahit a SS. Patribus svave & mirabile pondus nuncupatum, substantialem Patris amorem S. Spiritum & tertiam SS. Trinitatis personam. Si enim hæc imago acci-

y) Ioan. c. 15. v. 26. Ioan. 14. v. 16. 26.

accidens esset, uti congnitio in creaturis intellectualibus, in Deo foret imperfectio, sin autem finita esset, infinitum repræsentare non posset, & præterea compositionem argueret in Deo. Quod absque blasphemia de Deo dici nequit. Cum sit ens simplicissimum. Ille quoque actus quo Deus se ipsum ab æterno novit, aut quod idem est, cognitio illa vitalis substantialis æterna sui ipsius vocatur verbum. Quia cognitio in Spiritualibus est eorum verbum seu loquela.

Ex quibus omnibus perspicuum est, si Spiritus Sanctus procederet a Filio æque ac a Patre, duos fore in beatissima Trinitate Spiritus Sanctos: quia Filius amando se ab æterno, quemadmodum Pater se amaret, substantialem quoque & infinitum terminum produceret, qui foret substantialis amor Filii; proindeque novus Spiritus Sanctus, sive quod idem est, alius Spiritus Sanctus. Quod confirmatum habetur in historia Conciliorum, qua quidem constat, Græcos processionem Spiritus Sancti a solo Patre semper tenuisse; sed Romanam Ecclesiam hæc verba (Filioque) adjunxisse in Symbolo Fidei post verbum (Patre) in eo quo dictum fuerat loco, qui ex Patre procedit: & Concilium Florentinum sic de ea decrevisse, coactis in hunc finem quibusdam Græcis Episcopis ad subscribendum hunc articulum, perpetuum carcerem illis minans, si renuerent.

II. Quod spectat ad despoticum Romani Episcopi Primatum, tum supra omnes cæteros Episco-

ſcopos; eum condemnat ſcriptura, quæ illos omnes inter ſe coæquales eſſe affirmat Math. c. 20. v. 25. 26. Luc. c. 22. v. 25. 26.

Sicut etiam Eccleſiaſtica hiſtoria, in qua fertur quinque fuiſſe Patriarchas in primitiva Eccleſia, nimirum, primum Patriarcham Hieroſolymæ, ſecundum Alexandriæ, tertium Antiochiæ, quartum Conſtantinopolis & quintum Romæ. Vbi vides, Papam omnium eſſe vltimum, nedum fuerit primus & ſupra alios Patriarchas. Sin vero S. Petrus in Concilio Hieroſolymitano ab Apoſtolis convocato primus loquatur Act. c. 15. v. 7. id ad ſummum probat Primatum ordinis non ſuperioritatis, qui quidem ipſi convenire poterat ob ætatem & decentiam, & quæ etiam ipſe cum fratre Andrea ad Apoſtolatum ante alios Apoſtolos vocatus fuerat Marc. c. 1. v. 16. 17. Præterea tota ratio quam afferunt Pontificii ad probandum ſupremum Papæ Primatum, in eo ſita eſt, quod dicunt eum eſſe S. Petri Succeſſorem, Petrum Romæ ſuam Epiſcopalem cathedram ſtabiliſſe, ipſumque contuliſſe ſuam omnem poteſtatem in ſucceſſorem ſuum Epiſcopum Romanum, qui Papæ nomen ſignificans Patrem ſibi aſſumpſit, ut omnium Pater haberetur, ut ſupra omnes cenſeretur, tanquam ille, cui omnes obedire debent: quemadmodum Filius carnalis tenetur in foro conſcientiæ Patri ſuo obtemperare, aſt hæc ratio, pace illorum dixerim, nulla eſt. Primo, quia Papa non eſt Petri Succeſſor; cum S. Petrus nunquam

in Italiam venerit, secundum Scripturam Sacram. Nam Scriptura nominat omnes locos, in quos S. Petrus & S. Paulus se contulerunt addens insuper sanctum Paulum fuisse Romæ, Act. c. 28, v. 14. 16. at nusquam ait, Petrum fuisse Romæ, vel in Italia. Quod minime omissum fuisset, utpote fundamentale punctum a quo tota Christi Ecclesia juxta doctrinam Papisticam dependet. Secundo, quia, posito eum Petro successisse, cum non successerit, fidei ejus neque doctrinæ hujuscemodi successio nihil ipsi in præsenti casu prodesset.

Deinde si primatus cum omni spirituali potestate a quopiam compararetur, ea præcise ratione, quia sancto Petro successit in ipsius Episcopali cathedra, omnes prædictæ prærogativæ Antiochiæ Episcopo convenirent, non autem Papæ, seu summo Pontifici Romano, quoniam Antiochenus Episcopus revera fuit Divi Petri successor, qui suam Antiochiæ cathedram constituit, ibique Christi Ecclesiam septem annos tanquam Episcopus ejusdem gubernavit, ut videre est in Robbi Geographia [z].

Imo ipsa Ecclesia Romana quinque prima œcumenica concilia Græca recepit; quamvis Papa nec ullus ex ipsius legatis in iis adfuerint: quo quidem fatentur Ecclesiam Græcam fuisse primam & veram Christi Ecclesiam, quamvis in præ-

z) Robbus in Geograph. p. 21. Tomo 2. in descriptione Antiochiæ.

præſenti earum Eccleſia Papiſtica aſſerat, conſilium absque Papa vel aliquo ex ejus legatis ipſum repræſentanti, non eſſe concilium, ſed conciliabulum, quod nullum formare poteſt fidei articulum. In quo ſibimet ipſis contradicunt. Nihilque facit ad rem, ſi dixeris Romam citare manuſcriptum in gratiam ſucceſſionis Papæ, in quo legitur, Petrum fuiſſe Romæ, ibique mortuum pro fide in Chriſtum. Nam præterquam quod componi & in eo dies adſcribi potuerit a fautore quodam Romani Pontificis ſub ſpe mercedis, libellus iſte nullum formare poteſt fidei articulum de Papæ ſucceſſione & primatu, nec etiam de prætenſa S. Petri commoratione in urbe Roma; cum ſit opus pure humanum.

En ergo punctum eſſentiale, maximum, imo & fundamentum omnium juxta doctrinam Papiſticam ſimplici libello innixum errori & fraudi, ut nemo neſcit, obnoxio. Huc adde omnes Papiſticos Theologos fateri, tum Papam tum ipſius Eccleſiam, fallibiles eſſe, non in quæſtione fidei, ſed tantum in quæſtione facti; atqui eſt factum ſeu materia facti, utrum Petrus fuerit Romæ nec ne; ergo nihil pro certo haberi, aut fundari poteſt, ſuper eorum verbum quantum ad hoc punctum, cum errare poſſint, in quæſtione facti, hoc eſt in materia facti.

Objiciunt: tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam & portæ inferni non prævalebunt adverſus eam, hoc eſt hæreticæ & in-

infideles ecclesiæ. Unde inferunt, Petrum supremum obtinuisse principatum supra Christi gregem, & consequenter Papam Petri successorem esse: quia Ecclesia Christi ædificata fuit supra Petrum, non autem super alios Apostolos. Quibus respondeo: Ecclesiam secundum Scripturam super Christi Personam & merita ædificatam fuisse [a], non vero personam S. Petri. Non enim dixit Christus, & super te, Petrum, ædificabo Ecclesiam meam: sed tantum dixit, & supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, ut S. Hieronymus exponit illa verba, super confessionem fidei, quam modo Petrus emiserat, dicens Christum filium Dei viventis esse [b].

Propter quod Christus Petri nomini alludens, ait, se ædificaturum Ecclesiam suam super hanc fidem, quam Petrus modo confessus erat; quam fidem Christus allegorice & per metaphoricam elocutionem vocat Petram, seu rupem ad perseverandum in sua Ecclesia, ad resistendum tentationibus, & salutem consequendam [c]. Nec melius fundata est ejus infallibilitas, si quis enim Episcopus omnis erroris expers esset, propterea quod S. Petri successor esset; cæteri Episcopi, qui aliis Episcopis successerunt, ob eandem rationem omnis erroris expertes essent: cum cæteri Apostoli non minus infallibiles fuerint, quam S. Petrus. Quod tamen Papistæ concedere nolunt, quam-

a) 1 Cor. c. 3. v. 11.
b) Matth. c. 16. v. 16. 17. 18.
c) 1 Epist. Petr. c. 5. v. 8. 9.

quamvis experientia conſtat, Epiſcopum Romanum erraviſſe. Præterea non probat hunc articulum Scriptura, quæ ſola continet veros fidei articulos. Multo minus probat illum fide primitivæ Eccleſiæ, vel auctoritate conciliorum atque Sanctorum Patrum primorum ſæculorum. Nec Paulus Apoſtolus ad Romanam ſcripſiſſet eccleſiam in Perſona Romanorum eam componentium, ipſi non gloriandum eſſe; quia ſtabat ne cadat & recidatur; ſicuti judaica Eccleſia. Quia non eum latuiſſet infallibilitatem ejus, aut ſaltem ipſius epiſcopi infallibilitatem, ſi vera fuiſſet, ab ejusmodi periculo illam ſalvam & incolumem præſtituram fuiſſe Rom. c. 11. v. 20. 21. Objiciunt inſuper Ieſum Chriſtum dixiſſe ſancto Petro: paſce agnos meos, paſce oves meas [d], ex quibus verbis inferunt, Chriſtum S. Petro poteſtatem dediſſe paſcendi Eccleſiam ſuam, tanquam ſupremo & univerſo Eccleſiæ paſtori; proindeque Papæ ſucceſſori ejus. Ad hæc reſpondeo, Chriſtum non dixiſſe Sancto Petro, paſce omnes agnos meos, paſce omnes oves meas. Quod utique dixiſſet, ſi divum Petrum his verbis ſupremum & univerſum totius Eccleſiæ ſuæ paſtorem conſtituere voluiſſet. Sed cum Petrus omnium Apoſtolorum natu maximus eſſet; eumque Chriſtus primum cum fratre ipſius Andrea ad Apoſtolatum vocaviſſet: idcirco Chriſtus illi dixit, & cuilibet Apoſtolorum ſeorſum in ipſius perſona, paſce agnos

d) Ioan. c. 21. v. 15. 16.

agnos meos, paſce oves meas, hoc eſt paſce Ecclesiaſticos & laicos, qui ad tuam pertinebunt jurisdictionem, ut ſatis conſtat exemplo ſancti Iacobi Apoſtoli Hieroſolymæ viventis, qui primus fuit omnium Apoſtolorum Epiſcopus, in qua quidem urbe agnos & oves Ieſu Chriſti ad ſuam jurisdictionem pertinentes paſcebat, nulla habita ratione prætenſi ſupremi & deſpotici primatus divi Petri ſupra cæteros Apoſtolos univerſamque Chriſti Eccleſiam, nondum quidquam ſciens de tali futuro figmento. Unde concludendum eſt, eam interpretationem eo magis rectam & veram habendam eſſe, quod Scriptura in pluribus locis innuit, omnes Apoſtolos eſſe inter ſe pares, uti ſuperius probatum eſt. Quod quidem re ipſa falſum eſſet. Si Ieſus Chriſtus ſanctum Petrum ſupremum & univerſum totius Eccleſiæ paſtorem ſupra cæteros Apoſtolos inſtituiſſet.

Præterquam quod Chriſtus æqualitatem Apoſtolorum in ſpirituali poteſtate, quam habituri erant, ſupra fideles confirmaverit, cum dixit, ſicut Pater meus miſit me, ita ego mitto vos [e]. Hoc eſt ad meos agnos measque oves ſpiritualiter paſcendos verbo divino & ſacramentis, eosque ita regendos in hoc mundo, ut vitam æternam conſequi poſſint. Sequitur igitur ex hactenus dictis, Chriſtum ſolum totius Eccleſiæ ſupremum atque abſolutum paſtorem eſſe: Apoſtolos vero eorumque ſucceſſores ejus vicarios: ac poſtremo

e) Ioan. c. 20. v. 21.

mo Ecclesiam esse supra Episcopos separatim, vel seorsum sumptos; ut patet ex concilio Hierosolymitano, ab Apostolis Christi Ecclesiam repræsentantibus convocato f. Quæ cum ita sint, operæ pretium est, obiter observare, quod si Ecclesia Romana juxta doctrinam suam infallibilis sit in suis Episcopis, in concilio œcumenico eam repræsentare congregatis; inde sequetur Ecclesiam Græcam, cum fuerit prima & orthodoxa in suis œcumenicis conciliis infallibilem fuisse, & etiamnum esse, novosque seu posteriores Ecclesias ab ea in doctrina Christi diffidentes, nempe Pontificiam & Reformatam, quarum prior in sexto sæculo incepit, posterior autem in 15, falsas esse & rebelles Ecclesias: proindeque eas in conscientia teneri in gremium Ecclesiæ Græcæ reverti, præsertim cum ea sit cæterarum omnium mater, vel saltem orthodoxæ, quæ cum ipsa in omnibus concordat.

Sin autem Ecclesia fallibilis sit secundum Reformatorum doctrinam: quis mihi præstare potest, id est, certiorem facere Papisticam & Protestantem non errasse in iis fidei articulis, in quibus dissentiunt ab Ecclesia Græca seu orthodoxa. Quod vero spectat ad præsumtum sancti Petri successorem, in ipsius Romano Episcopatu vel Pontificia dignitate, cujus mentio facta est in hac postrema objectione; utrumque tanquam figmentum habendum est: quandoquidem neutrum pro-

f) Act. c. 15. v. 6. 7. 12. 13. 19. 22. 23. 25.

probabile est, nedum certum certitudine fidei, ut res necessario postulat, ut hoc duplex fundamentum articulus fidei esse posset, non errori vel fraudi obnoxium.

Si enim Divus Paulus, qui nondum Episcopus fuerat, quique nullam sibi Episcopalem Cathedram in ullo loco stabilierat, & qui præterea Romæ fere duos annos manserat, priusquam sanctus Petrus in hanc eandem urbem venisset, vinctus, incarceratusque, & ad catenas datus fuerit secundum Papistas; si sanctus inquam Romæ nequaquam Episcopus fuerit, nec ullum habuerit sibi successorem, nec ullam potuerit ibidem Episcopalem cathedram stabilire, utpote qui Romam in custodia publica adductus fuit, totumque illud tempus in custodia militi relictus, cum plena tamen libertate eundi totum diem per totam urbem. Quanto minus sanctus Petrus poterit esse Romæ Episcopus? an potest ille sibi Cathedram Episcopalem ibi constituere, successoremque ibidem habere. Ipse qui jam Antiochiæ Episcopus erat, qui suam ibi Cathedram Episcopalem a septem annis constituerat juxta confessionem Papæ sectatorum, quique unum duntaxat mensem Romæ vixit, imo etiam in carcere & in catenis usque ad diem suæ mortis, uti fatentur Pontificii, quæ secundum eos obtingit eodem die quo sancti Pauli Martyrium. Quaproter Romanus Pontifex minus fuisset reus, si seipsum sancti Pauli successorem dixisset, non autem Divi Petri,

qui

qui Romam venit in vinculis, ut asserunt Papistæ: proindeque coactus & invitus. Nisi enim vinctus & ligatus Romam adductus fuisset, in suo Antiocheno Episcopatu remansisset.

III. De prædestinatione: statuam eam duplicem esse secundum Scripturam; unam ad gratiam, alteram vero ad gloriam. Prior, quæ est vocatio ad veram Ecclesiam, fit ab æterno. Matth. c. 22, v. 14. Multi vocati pauci vero electi: multi vero vocantur ad veram Christi Ecclesiam natalibus suis, vel aliter: sed non ideo eliguntur ad gloriam, ut patet exemplo Iudæ. Independenter, a prævisione bonorum hominis operum. Posterior autem, quæ est electio ad gloriam, fit ab æterno dependenter a prævisione bonorum operum in Christo factorum [g]. Ecclesia Presbyteriana Calvinistica tenet prædestinationem physicam ad gloriam; non vero Ecclesia Episcopalis Anglicana, quæ moralem tantum Prædestinationem ad gloriam tenet, id est, eam, quæ fit post prævisa hominis bona opera in Christo facienda, vel quod idem est, dependenter ex prævisis bonis operibus hominis futuris in Christo faciendis. Pro qua ratio pugnat, quia hæc prædestinatio ad gloriam, seu electio ad possidendam gloriam, quæ fit ab æterno ante prævisa bona opera facta in Christo seu independenter a prævisis bonis operibus in Christo factis, vulgo nuncupata prædestinatio physica, seu absoluta; si vera esset respectu omnium Christianorum,

g) 2 Petr. c. 1. v. 10. Rom. c. 8. v. 29. 30.

rum, eos averteret ab obſervatione mandatorum Dei, nec non Religionis Chriſti, quoniam plerique dicerent, quid prodeſt mihi legem Chriſti cuſtodire, voluptates illicitas mihi negare, bonis me orbare, quæ mediis injuſtis acquirere poſſem; cum damnari nequeam, ſi phyſice ſeu abſolute prædeſtinatus fuerim ad gloriam. Eadem Eccleſia rejicit etiam Reprobationem phyſicam ſeu abſolutam, quæ eſt actus divini intellectus, quo Deus reprobat, ſeu rejicit Chriſtianum, eumque excludit a gloria æterna ante prævisâ ejus prava vel bona opera: idque merito, quia ſi hæc abſoluta, ſeu arbitraria reprobatio vera eſſet, omnes ab operando bono deterreret. Nam quilibet diceret, ſi abſolute reprobatus ſim; hoc eſt, ſi ab æterno excluſus fuerim a gloria, antequam Deus præviderit, utrum malum perpetravero; ſalvari nequeo; quodcunque opus bonum faciam in vera Eccleſia. Quapropter inutile eſt bona exercere opera; cum nihil mihi profutura ſint ad ſalutem æternam. Adjice quod abſoluta Prædeſtinatio ad gloriam, & abſoluta reprobatio, hoc eſt, rejectio arbitraria a gloria; ambæ ſint inſociabiles cum libero hominis arbitrio in Scriptura toties aſſerto[h].

Porro abſoluta reprobatio non congruit infinitæ Dei bonitati, nec etiam his Scripturæ verbis, quibus Deus nobis aſſerit, ſe velle omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.

h) Eccl. c. 15. v. 15. 14. Deut. 30. v. 15. 19. Gen. c. 4. v. 7.

nire. Sanctus Augustinus, qui fecit te sine te, non salvabit te sine te. Ierem. Perdicio tua ex te, Israel [i].

Nam inde sequeretur, si hæc absoluta reprobatio vera esset, Deum velle mortem Peccatoris, non autem ejus conversionem & vitam, ac insuper ejus voluntatem de omnibus salvandis hominibus non esse sinceram, nec eos posse ad agnitionem veritatis venire: tametsi prædestinati fuissent ad gratiam vocationis ad veram Ecclesiam; aut si ad eam venirent, id illis nihil profuturum ad salutem æternam. Quæ omnia contraria sunt legitimo & genuino sensui supra dictorum Scripturæ locorum. Quin etiam ex his duobus dogmatibus sequeretur, alterum certissime in cœlum iturum, utcunque improbum, nec veriturum, ne illud amittat, non obstantibus sancti Pauli verbis, ejusque timore de futura suamet ipsius reprobatione, ni legem divinam adimpleret [k]. Alterum vero quantumvis bonum & justum ab eodem excludi ob rationes superius allatas. Quod infinitæ Dei sapientiæ repugnare fatendum est. Faveant etiam Thesi hæc verba Christi, si vis ad vitam ingredi, serva mandata [l]. Ergo penes est Christianum, servare vel non servare mandata Dei. Quod utrumque ut perspicuum est, tum abso-

i) Ezech. c. 18. v. 23. 30. 31. 32. 2 Cor. c. 5. v. 15. Christus pro omnibus mortuus est.
k) Philip. c. 2. v. 12. 1 Cor. c. 9. v. 27.
l) Matth. c. 19. v. 17.

absolutam, Prædestinationem ad gloriam tum arbitrariam reprobationem ab eadem excludit. Non enim vellet Christus quidquam impossibile nobis imperare, præsertim cum dicat se mitem esse & jugum suum suave [m].

Is igitur est ordo quem Deus in Prædestinatione ad gloriam & reprobatione servavit. Cum enim omnia ejus æternitate præsentia sint, ab æterno prævidit Adami lapsum, remediumque huic universali malo decrevit, nempe satisfactionem & merita infinita Christi quatenus Dei, ut justa fieret compensatio pro peccato, tum originali, tum actuali, utpote utroque malo infinito; ita ut fides in hunc Salvatorem una cum applicatione ejus meritorum per receptionem sacramentorum, ipsiusque Religionis observationem facta hominem salvaret.

His ita præmissis dico Deum videre eodem tempore ab omni æternitate in sua æterna præscientia Petrum v. g. in quodam æternitatis suæ puncto moriturum in sua gratia, in fide Christi & finali pœnitentia.

Quamobrem eum ab æterno ad gloriam prædestinat ipsumque elegit ad eam in æternum possidendum. Quod utique præstat, ut perspicuum est, post prævisionem bonorum operum Petri in Christo factorum ejusque finalis pœnitentiæ. Cum e contrario Iudam ab omni æternitate reprobat, seu rejicit, excluditve ab hac gloria: quia ab æterno

m) Matth. c. 11. v. 30.

no tempore prævidit, eum in impœnitentia finali postremum diem obiturum, proindeque in peccato: propterea quod male usus fuerit libero arbitrio & gratia Christi, nec ejus legem & mandata servaverit. Quibus constat reprobationem non fieri nisi post præscientiam divinam de Iudæ malis operibus futuris. Quæ omnia cum Scriptura concordant, quæ salutem nostram proxime a Christo omnium salutis causa physica nostris bonis operibus, tanquam causæ morali eidem adscribit nostramque damnationem nostris operibus pravis, dicens, venite benedicti Patris mei &c. [n].

Neque mihi objicias quæso, si Deus ab æterno præviderit quemdam Christianum in peccato, vel impœnitentia finali vitam cum morte commutaturum, eundem salvari nequaquam posse; cum Præscientia Dei infallibilis sit, ejusque decreta immutabilia atque irrevocabilia.

His respondeo, penes Christianum esse cum gratia Christi huic occurrere præscientiæ divinæ, vel ut clarius loquar, eam avertere, moriendo, pœnitentem & in ejus gratia; quia in tali casu cum Deus ab æterno prævidebit eum in ipsius gratia moriturum, idcirco prædestinabit eum ad gloriam, ipsumque eliget, ut ea in æternum potiatur. Præscientia enim divina de Christiani impœnitentia finali non magis est causa ejus peccati, aut finalis impœnitentiæ, quam hominis vi-

n) Matth. c. 25. v. 34. 35. 41. 42.

ſio per feneſtram, videntis quendam hominem in via brachium alteri abſcindentem; quoniam per illam ſtabat, ut prædictus homo ſtans ad feneſtram contrarium videret, nimirum illi homini brachium minime abſcindentem, aut etiam cerneret eum eſſe virum probum, dando Eleemoſynam in eadem via, vel alia patrando bona opera Chriſtiano digna: ita ſe res habet, cum Deo ab æterno videnti ex cælo, quod quid agitur ſuper terram, eosve qui ex hac vita decedunt.

Neque quidquam faciunt contra præcedentem Theſin verba ſancti Pauli, quæ vulgo afferuntur in contrarium, videlicet antequam pueri nati eſſent, aut quidquam boni vel mali feciſſent, dictum fuit ei; major ſerviet minori, & inferius, miſerebor, cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo, cui miſericordiam præſtabo, non eſt ergo volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei &c. [o] Nam hæc de prædeſtinatione ad gratiam, vt ſupra explicatum, & rejectione ab eadem intelliguntur; non autem de prædeſtinatione ad gloriam vel reprobatione, ſeu rejectione ab ea. Verum hactenus ſatis ſuper hunc articulum. Nunc igitur veniendum eſt ad interceſſionem ſanctorum in cœlo.

IV. Hæc intercesſio nobis inſtillatur in variis Scripturæ locis nominatim in Deuteron.[p], ubi dicitur

o) Rom. c. 9. v. 11. 16. 17.

p) Deut. c. 31. v. 22. 23. 29. Deut. c. 9. v. 18. 19, 20.

citur, Moyſem poſt mortem ſuam fore cum Ioſue ad ipſi opitulandum; & in novo Teſtamento, in quo legimus Petrum poſt mortem ſuam operam daturum, ut fideles meminerint omnium, quæ ipſos docuerat [q]. Quoniam in utroque textu intelligitur, eos per interceſſionem ſuam in cœlo præſtituros, quæ hominibus promittunt. Legimus quoque in Apocalypſi, ſanctos in cœlo fidelium preces offerre Deo [r].

Procul dubio ut ſuam interceſſionem in illorum gratiam magis efficacem coram ipſo reddant. Quod etiam multo magis facit pro interceſſione beatiſſimæ Virginis, quæ a filio quidquid vult in fidelium gratiam, ut Deipara, obtinere poteſt, dummodo tamen, quæ ab ipſo petit, ejus juſtitiæ, minime repugnent.

Uſus & conceſſus unanimis Eccleſiæ Græcæ, & Romanæ in hoc puncto ante ſuam defectionem, hujus veritatem plusquam ſatis probant; cum hæc tunc temporis orthodoxa eſſet, perinde ac illa; Chriſtique Regno nullus ſit finis. Poſito enim ambas illas Eccleſias in hoc puncto erraſſe (quod tamen falſum eſt) Chriſti Regni fuiſſet finis. Quod dici nequit, utpote Scripturæ oppoſitum: idque a fortiori ratione, ſi quidem tum temporis nulla alia vera Chriſti Eccleſia erat præter illas duas. Deinde ſi ambæ illæ Eccleſiæ erraſſent, vel hominibus verba dediſſent in hac doctrina;

 quis

q) 2 Petr. c. 1. v. 15. Deut. c. 10.
r) Apoc. c. 5. v. 8. Apoc. c. 8. v. 3.

quis me certum faciet, Ecclesiam protestantem, cujuscunque denominationis, in Reformatione sua non erravisse, neque hominibus verba dedisse? Quicunque ergo a prima recedit Ecclesiâ, Græcam intelligo & Russianam eximium ac pernobilem ejus ramum, nec in ea vivere vult, certum pro incerto relinquit. Potissimum cum Ecclesia Græca stabilita fuerit tempore Apostolorum & primorum Patrum: cum e contra Lutherana & Calvinistica Ecclesia, post mille quingentos annos in mundo apparuerit post mortem Christi, remotissime ab illis primis temporibus; cum nihil scire poterant, nisi per traditionem Ecclesiæ, quam subito jugularunt, ut libertatem in temporalibus & Spiritualibus obtinerent vitamque commodam & independentem viverent.

Id quoque facit pro invocatione Sanctorum fundata in Scriptura in primitivæ Ecclesiæ praxi, in Conciliorum decisione; imo & in Sanctorum Patrum scriptis. Hinc tamen aliam insuper afferam rationem in confirmationem ejusdem articuli, dicendo ea, quæ in lege Mosaica continebantur, vel agebantur sub veteri dispensatione, umbras & figuras esse eorum, quæ in nova adimplenda erant f. Cum ergo sancti super terram adhuc existentes, suis precibus & intercessione a Deo obtinerent, quidquid ab eo postulabant in gratiam illorum, qui ipsos aliquod

f) Hebr. 1, 1. c. 8, 5. c. 9, 9. 1 Cor. c. 10. 3. 4. 5. 11.

quod beneficium rogabant [t]. Quanto melius & facilius a Deo obtenturi ſunt invocati, quæ rogabuntur, nunc in cælo glorificati; ubi ſanctiores, ſi ita loqui fas eſt, & magis dilecti ſunt a Deo, quam unquam: ac proinde major illis eſt poteſtas apud Deum, & facilior ad ipſum acceſſus ad intercedendum & orandum eum pro fidelibus.

Quibus addi poteſt corporalem ſanationem ſæpe ſæpius a Deo pro fidelibus obtentam ab iis in hoc mundo adhuc viventibus, figuram fuiſſe Spiritualis ſanationis, quam a Deo poſt mortem in cælo obtenturi erant pro fidelibus, poſtquam tamen homines a Chriſto Patri reconciliati & ab originali labe mundati fuiſſent. Quæ veritas ab ipſo Deo confirmata eſt miraculis, quæ operatus eſt poſt eorum mortem, in gratiam illorum, qui ipſos invocaverunt. Quod quidem Deus nunquam præſtitiſſet, ſi cultus ille falſus fuiſſet, aut ei diſplicuiſſet, quia hoc pacto pueros ſuos fideles decepiſſet, eos in errore veris confirmando miraculis. Quod abſque blaſphemia de Deo nequaquam dici poteſt: ergo ſanctorum invocatio verus eſt cultus in Scriptura fundatus, a Deo miraculis approbatus atque confirmatus, proindeque ipſi pergratus.

Vt paucis complectar: Cum quis a Rege quidpiam obtinere cupit, propter humilitatem & indignitatem ſuam adit ejus amicos & miniſtros; at-

N 4 qui

t) Ioann. c. 17. 11. 22. 23. 24. 2 Reg. 4. v. 1. 16. c. 16, 17. 20. 2 Reg. 5. v. 1. 10, 14. Actor. 3, 2. 6. 7. 8. Actor. 20, 8. 9. 11. Actor. 9, 11. 16. 17.

qui ſancti ſunt Dei amici atque miniſtri, ut videre eſt in Scriptura, nos vero humiles & indigni etiam propter peccata, qui ad cælum oculos attollamus; ergo; &c. [v]. Hæc interceſſio ſanctorum confirmatur etiam ſequentibus obſervationibus.

1. Quia Deus quam plurimis ſæculis poſt mortem Moſis & Samuelis dicit in 15. cap. Ieremiæ Prophetæ, v. 1. etiamſi Moſes & Samuel ipſum orarent pro populo Iudaico, ſe illos non auditurum. Ergo Moſes & Samuel poterant intercedere apud Deum pro hominibus legem Moſaicam profitentibus. Quidni etiamnum Sancti pro hominibus chriſtianam Religionem profitentibus.

2. Quia reperitur in libro 2 Macchabeorum cap. 15. v. 14. Ieremiam a multis ſæculis mortuum, multum orare Deum pro populo Iudaico & civitate ſancta Hieroſolyma: ergo &

3. Quia Angelus dicit ſe obtuliſſe preces Tobiæ & Saræ, Nurus ejus, Deo, & ſecum ipſo fuiſſe, quando mortuos ſepeliebat. Tob. c. 12. v. 12. 13. 14. 15.

4. Quia tum beati cum Angeli, in cælo lætantur de unius peccatoris converſione, ut videre eſt in 15. cap. S. Luc. v. 7. & 10. Quod equidem præſtare non poſſent, niſi ſcirent quæ geruntur ſupra terram: ergo &c. Quibus omnibus addi poſſunt verba S. Baſilii, quæ habentur in ejus epiſtola

v) Luc. 15, 18. 19.

ſtola ad Iulianum Apoſtatam: Apoſtolos, Prophetas, & Martyres invoco, ut pro me Deum orent, & per eorum interceſſionem mihi condonentur peccata. Itaque pergit ille illuſtris Archiepiſcopus Cæſarienſis: illorum imagines honoro & veneror: quoniam id nobis a S. Apoſtolis relictum eſt, ac in omnibus noſtris Eccleſiis depictæ ſunt, nedum prohibitæ. Cæterum non alienum eſſe videtur hic dicere, Chriſtum obſequium ſeu ſervitium divinum, ceremonias, & veſtimenta in Eccleſia ab Eccleſiaſticis induenda, Apoſtolorum & Eccleſiæ ſuæ poteſtati reliquiſſe. Quod perſpicuum eſt, eo quod famulatus divinus, id eſt ſervitium divinum, in Eccleſia obſervandum, nec appellatum fuerit in Novo Teſtamento, nec deſignatum: ſicut in veteri. Cumque dicat ſe non veniſſe, ut ſolveret legem, ſed ut adimpleret, hinc ſequitur, Sanctos Patres & Eccleſiam retinuiſſe quidquid in lege Moſaica non implicat figuram, aut ceremonias Moſaicas, ut lex moralis, veſtimenta ſacerdotalia &c. novosque dies feſtos veteris legis feſtis ſubſtituiſſe, ad gratias Deo agendas de quibusdam ſpecialibus beneficiis ab eo receptis, vel ad colendum ipſum non ſolum in ſe ipſo, verum etiam in ſanctis ejus. Novum enim Teſtamentum mentionem tantum facit de eſſentialibus punctis ad fidem chriſtianam & legem moralem ſpectantibus, relicta Eccleſiæ poteſtati & liberalitati ordinandi jejunia, feſta, veſtimenta, ceremonias, tempus, & modum in Eccleſia Deo

ſerviendi, ipſe etiam S. Paulus de iis loquens poſtquam dixit, omnia in Eccleſia decenter & diſpoſite facienda eſſe, adjicit, cum rediero de reliquis diſponam, loquens de iis, quæ ad cultum divinum pertinent [y]. Quod utique non tenemus, niſi per traditionem Eccleſiæ. Novum quippe teſtamentum non dicit poſtea quæ ſint ea, de quibus divus Paulus diſponere volebat; quæque in ordinem adducere, Tito juſſerat: Ergo recurrendum eſt ad traditionem in hujusmodi rebus: nec ea rejicienda in imitationem Eccleſiarum Calviniſticarum & Lutheranarum. Vnde ſequitur, poſtquam hæc ſemel ſtabilita fuerunt ab Apoſtolis, a SS. Patribus, & a primitiva Eccleſia, pro incremento & neceſſitate Eccleſiæ, nihil horum mutandum eſſe in imitationem Papiſticæ Eccleſiæ, multo minus penitus evertendum, ſicut Lutherus & Calvinus fecerunt. Non enim ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinandum eſt [z]. Neque quidquam addendum, neque detrahendum; tum quia Scriptura dicit eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis [a]. Spiritum eam docturum omnem veritatem [b], & Chriſtum cum ipſa fore usq; ad conſummationem ſæculorum [c]. Item Paulus nos inſuper hortatur ad ſequendum & retinendum traditiones Eccleſiæ. Sanctusque Auguſtinus hæc pronunciat verba in ſuo libro de civitate myſtica. Qui non habebit Eccleſiam matrem in terris, non habebit Deum Patrem

y) 1 Cor. c. 14. v. 34. Tit. c. 1. v. 5. z) Deuter. 15, 32.
a) 1 Tim. 3, 15. b) Iohan. 6, 12. 13. c) Math. 28, 20.

Patrem in cælis, ergo quilibet tenetur obedire Ecclesiæ tanquam Matri. Denique Protestantes adversus cultum Sanctis & Beatæ virgini Mariæ exhibitum, objiciunt, eum esse prohibitum in decalogo, in quantum Deus in eo expressis verbis hominibus prohibet, ne sculptas adorent imagines; ne corpus inclinent coram illis, neque illis serviant. Verum hoc nihil probat contra Græcam, seu orthodoxam ecclesiam; cui nullæ, nisi Christi imago, sculptæ sunt imagines, sed tantum depictæ. Præterquam quod ibi Scriptura solum de gentilium idolis loquitur, qui homines in iis repræsentatos adorabant, eos agnoscentes & credentes esse deos; imo & illis sacrificantes, qua nulla esset in iis supernaturalis excellentia, & gratia Christi nunquam habitaverit in illis ad eorum sanctificationem, nec fuerint templa Spiritus S. ob peccatum originale nunquam in ipsis ablutum: cum Christus illud nondum expiasset. Quamobrem gentiles in suo cultu & religioso famulatu veri erant idololatræ; atqui Christiani Orthodoxi non adorant sanctos, credentes esse eos deos: nec tales eos agnoscunt, nec tandem illis sacrificant; sed eos duntaxat honorant; quod ab originali labe mundati fuerunt, & templa viventia S. S. extiterunt: Ergo Christiani Orthodoxi nullo modo sunt idololatræ. Verum est sacerdotes thuris honores tribuere altari & imaginibus, & coram illo corpus inclinare; sed thuris quoque honores fidelibus tribuunt, & coram ipsis corpus incli-

inclinant, ut hac agendi ratione hominibus innotescat, hæc omnia relative tanquam ad Deum fieri, & primario propter ipsum; idque ad reverendum cum his religiosis & reverentibus actionibus in ejus vivis imaginibus [d]: æquæ ac in ipsius sanctorum mortuis imaginibus, similiter fideles corpus inclinantes & coram altari propter Deum, relative ad eum, ut suum Deo respectum testificentur; corpusque insuper inclinantes coram imaginibus S. Virginis & sanctorum non propter illas, sed propter illos, semperque relative ad eos in iis repræsentatos, & quidem primario relative ad Deum; corpus etiam inclinant coram aliis fidelibus, in signum fraternæ & christianæ charitatis, fundatæ in communione sanctorum, & ad suum erga Spiritum Sanctum respectum ostendendum, cujus viva sunt templa [e]. In quibus omnibus nihil nisi sanctum, pium, ac innocens est, & consequenter Deo acceptum. Signum crucis est etiam pia & antiqua praxis ad colendam SS. Trinitatem, simul cum Christo super cruce mortuo, ad nos salvandos, nobisque vitam æternam nostri primi parentis peccato amissam recuperandam; sicut etiam ut nunquam tanti beneficii obliviscamur, si autem Deus idem signum Crucis tam honorabile, venerandum, ac respectu dignum effecerit, eam ipsi virtutem conferendo, quæ Constantino magno vires suppeditaverit, ad vincendos suos hostes corporales; Voxque de cælo in hujus

d) Genes. 1, 26. 27.
e) 1 Cor. 3, 31. 6, 15. 16. 2 Cor. 6, 16. Rom. 8, 16. 17.

hujus rei testimonium audita fuerit, dicens: in hoc signo vinces. Quare non poterit Deus vim illi supernaturalem dare, quæ vires nobis suppeditet ad nostros spirituales hostes superandos, videlicet, mundum, Diabolum, & carnem, si fide & reverenter ea utamur? Ipsimet doctores Lutherani, Papistici ejus antiquitatem fatentur, dicentes, in primitiva Ecclesia quemlibet ingredientem domum alicujus, vel ex ea egredientem, coram imagine signo crucis signare se solitum fuisse, ad dignoscendos infideles & hæreticos, sicut eam coram imaginibus circumdatis asseribus ac vitro munitis adversus pluviam, collocatis in vicis, plateis, & foris, ob eundem finem: sed suam Ecclesiam successu temporis id emendasse & reformavisse.

Quibus adjungi possunt supplicationes ad Deum factæ pro mortuis, quæ pariter sunt pia & antiqua consuetudo, simulque funerarium officium in 2 Maccabeorum Lib. fundatum c. 12. v. 43. 44. nec non in charitate, quæ in Sanctorum communione inesse debet.

Postremo si Israelitæ caput aperiebant ante arcam fœderis, Eucharistiæ figuram relative ad Deum; quia Deus in ea interdum peculiari modo aderat: cur fideles caput non aperient ante Christi effigiem, ejus humanitatem in Eucharistia contentam, relative ad ipsum ut Deum, cum ibi quoque sit præsens. Ioan. c. 5. v. 23. Matth. c. 26. v. 28. 20. Ipsaque Michala Davidis uxor a Deo

puni-

punita ſuerit, quia Davidi Regi coram arca caput aperienti irriſerat, 2 Sam. c. 6. v. 12. 17. 20. 21. 23. Similiter ſi Proteſtantes in Eccleſia petaſum tollunt ante parietes, relative ad Deum & propter ipſum: cum illuc poſt prandium ingrediuntur, eo tempore, quo nullum ibi fit ſervitium divinum: quidni ante Chriſti imaginem de cruce pendentis relative ad eum & propter ipſum, cum ſit Deus? item ſi Regis ſubditi ejus effigiem in ipſius palatio venerentur, puniaturque, ſi eam dilacerent, aut mutilent; quidni licitum erit Chriſti effigiem & Beatiſſimæ Virginis ac ſanctorum imagines in Eccleſia venerari relative ad eum ut Deum, eorumque Prototypon; imo etiam alibi, cum terra vocari poſſit terreſtris domus Dei, quoniam Dei eſt, omniaque loca præſentia ſua replet, denique cum homo ſit compoſitus ex corpore & anima, & adeo non minus bona corporis quam animæ acceperit: pro iisdem ſuam ei gratiam referre tenetur his duobus partibus, proindeque Deo corpore & mente ſervire: quod cultu externo perficitur.

Punctum quoque ad realem, ſubſtantialem, & ſpiritualem Chriſti præſentiam in Sacramento Euchariſtiæ pertinens dilucide probatur ex his inſtitutionis divinæ verbis: accipite, comedite, hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus &c. f quia cum hæc verba ſint teſtamenti verba, clara eſſe debent, non autem figurata, ut donatario, quid

f) Matth. c. 26. 27. 28. Marc. c. 14. v. 22. 24.

quid ipsi in eo datum sit, & qua conditione innotescere possit, omnisque contentio vel dissensio perimatur, idem confirmatum reperitur his aliis Sancti Ioannis Evangelii verbis, caro mea, vere est cibus, & sanguis meus, vere est potus. Quod quidem excludit figuratam & metaphoricam ejus corporis & sanguinis manducationem. Non enim Christus dixit, caro mea figurative vel metaphorice est cibus, sed vere. Quibus adjungi possunt hæc alia Christi verba: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis [g]. Ne autem quis ejus carnem corporaliter ac visibiliter ad instar laniariæ carnis comedi potest, hæc insuper addidit verba: Caro non prodest quidquam, hoc est sensus carnalis (nam Caro Sacrificiorum Mosaicorum proderat.) Verba quæ ego locutus sum vobis Spiritus & Vita sunt, id est, spiritualiter intelligenda sunt: proindeque de reali substantiali ac Spirituali Carnis ejus manducatione [h]. Quæ autem vulgo affertur objectio a Protestantibus, dicentibus, hoc esse corpus ejus in figura & representatione; Quoniam ille panis eorum judicio significat vel repræsentat (Ioan. c. 6. v. 53. 55. 63. 64. Math. 28, 20.) ejus corpus, vel ut alii idem exponunt, hoc est corpus meum, nihil aliud sibi velle, quam, hoc est corpus meum, quantum ad fru-

g) Matth. 26, 26. 27. 28. Marc. 14, 22. 24. Ioann. 6, 23. 25. Matth. 28, 8.

h) Iohan. c. 6. v. 63.

fructum ex corpore meo ſuper cruce immolato perceptum, vel quoad ſpiritualem ejus effectum, non valet. Quia Sanctus Marcus qui Evangelium ſuum latine ſcripſit, dixiſſe, hoc ſignificat, vel repræſentat Corpus meum, non vero (eſt.) Item Sanctus Lucas & Sanctus Ioannes, qui ambo Evangelium ſuum græce ſcripſerunt, dixisſent, hoc ſignificat, vel repræſentat Corpus meum; non autem (eſt.) Cum Verba ſignificare, & repræſentare in his duabus linguis reperiantur, quamvis res aliter ſe habeat in Lingua Hebraica. Quin etiam Paulus Apoſtolus, qui hoc Myſterium exponit dicens: panis ille, quem frangimus, nonne eſt Communio Corporis Chriſti, dixiſſet Quatenus expoſitor, nonne eſt communio effectus vel meritorum Corporis Chriſti ſupra Crucem immolati, cujus hic panis repræſentatio eſt, aut melius, panis quem nonne eſt participatio fructus ſpiritualis, qui nobis ex Corpore Chriſti ſuper Cruce immolato provenit i. Quod tamen non dixit, judicium certum ea inſtitutionis Euchariſtiæ verba in reali & proprio ſenſu accipienda eſſe non autem in figurato & improprio.

Huc adde, quod unanimis Eccleſiæ Græcæ conſenſus, una cum Romanæ Eccleſiæ, ante ſuum lapſum conſenſu hac in re, quæ ambæ ſolæ erant ſupra terram veræ Chriſti Eccleſiæ, confirmat veritatem hactenus a me dictorum de hoc Sacra-

i) 1 Cor. 10, 16. 1 Cor. 11, 24. 25. 26. 27. 29.

Sacramento, prætermiſſis etiam conſiliis, Sanctorumque Patrum primitivæ Eccleſiæ ſcriptis.

Objiciunt inſuper, hæc omnia videri impoſſibilia, utpote contradictiones implicantia. Quibus reſponderi poteſt, Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis impoſſibile quoque videri humano intellectui, Contradictiones juxta tenuitatem humani ingenii involvere, nihilominus tamen poſterius hoc Myſterium ab ipſis admitti: Quidni etiam prius? Cum non ſit potior ratio de uno quam de altero: & præterea ipſis conſiderandum ſit, nihil eſſe Deo impoſſibile [k]. Illasque præſumptas Contradictiones tantum apparentes, & extrinſecas, non autem reales & intrinſecas. Quodſi Chriſtus etiam januis clauſis in cubiculum ingreſſus ſit, ſteteritque in medio Apoſtolorum, uti legitur in Scriptura Sacra [l]. Licet id nobis quoque impoſſibile videtur. Quidni poterit etiam pluribus ſimul adeſſe locis modo ſpirituali & inenarrabili? Idque a fortiori ratione, cum Deus ſit. An mens noſtra tot terminis circumſcripta totam divinæ omnipotentiæ extenſionem intelligere poteſt? Num potius mentem fidei Myſteriis juxta Sancti Pauli Conſilium ſubjicere debent, captivantes intellectum in obſequium legis eo magis, quod hæc non ſint contra, ſed ſupra rationem. Porro cum Muſca & Canis, quid ſit homo capere non poſſint; quanto minus homo Deum, ipſiusve myſteria intelli-

k) Matth. 19, 26. Marc. 14, 36. l) Ioh. 20, 26.

gere poteſt. Siquidem infinita eſt diſtantia inter Deum & hominem: finita autem ſolummodo inter hominem & illas Creaturas irrationales.

Cæterum quod attinet ad Epiſcopatus ordinem, ejusque Succeſſionis neceſſitatem, quæ duo conſtituunt unum ex capitibus in Eminentiæ veſtræ Epiſtolæ comprehenſis: Id ita perſpicue in novo exhibetur Teſtamento [m], tam firmiter primis fuit Conciliis ſtabilitum, tam certe a primis Eccleſiæ Patribus comprobatum, atque unanimi omnium privatarum primitivæ Eccleſiæ Eccleſiarum conceſſu confirmatum, & ab Anglicana Proteſtanti Eccleſia Epiſcopali admiſſum atque verum agnitum, ut minime operæ pretium eſſe ducam, hoc hujusmodi quæſtionibus opus magis ampliare; ut pote jam jam nimis longum: ne eiusdem lectio non nihil tædii Eminentiæ veſtræ afferat.

Quod item ad fortiſſima Proteſtantium argumenta adverſum Orthodoxam Magnæ Ruſſiæ Eccleſiam genuinum Eccleſiæ Græcæ ramum ſpectat, quæ veſtra etiam Eminentia me afferre cupit, ut ea confutem; eadem tam infirma & invalida eſſe, nec non confutatu facilia cenſeo, ut pariter inutile judicaverim ea hic inſerere: utpote non digna Eminentiæ veſtræ laboris in iis perlegendis. Qua circa mihi non expedire arbitratus ſum id negotii veſtræ Eminentiæ faceſſere. Præterea omnis eorum diſputatio vertitur in

m) 1 Tim. 5, 22. Tit. 1, 6. Hebr. 5, 1. 4. Apoc. 2, 1. 8. 12.

in Ecclesiam Romanam; Quippe, qui non majorem de vestra Russiana Ecclesia mentionem faciunt, quam si nulla esset supra terram; sed tantum de Græca Turcicis armis pæne extincta in ipsorum dominiis; adeo ut Vestram Ecclesiam nunquam directe aggrediantur; sed tantum Romam & parumper veterem Græcam, proindeque vestram indirecte in punctis intelligo in quibus concordatis cum Romana.

Potuissem celeberrime Archiepiscope in his materiis profusior esse; sed id brevitati Responsionis ad vestram Epistolam non convenit. Superquam quod mecum nullos Theologiæ, Historiæ, aliosve ad Religionem spectantes libros attulerim. Neque etiam omnes allegavi quos potuissem Scripturæ locos, Conciliorum, Patrum, Ecclesiasticæ Historiæ, cæterorumque Religionis Librorum, qui melius asserta probare possem, licet mea Londini Bibliotheca iis satis referta fuerit: ne quis existimaret me hærentes in hanc religionem libros mecum attulisse, ad seducendum Christianos orthodoxos, vel ut iis aliquando ad hunc finem uti possem. Eosdem inquam mecum non attuli, ne mea inde suspecta fuerit conversio, vel id pravam de me opinionem infidelium animis ingeneraret, vel tandem post obitum si forte ex hac vita post meum in hanc urbem adventum discessissem in manus nonnullorum inciderent, qui iis abuti potuissent. Præterquam quod consideraveram me sufficientem numerum

Theologicorum Librorum, cæterorumque ad Religionem pertinentium Latine Typis impressorum hac in urbe inventurum, puram veritatem continentium ac omnis erroris expertium; quorum proinde lectio me magis deceret, mihi magis prodesset, populoque meliori esse exemplo, secutis in hac mea agendi ratione divi Pauli Consilium dicentis ab omni specie mali nobis abstinendum esse, & in alio suarum Epistolarum loco nullum cuivis offendiculum nobis præbendum esse [n]. Quam ob rem Vestram Eminentiam me excusatum habituram spero, si ipsis minus quam optaverit, satis fecerim, non tam docte vel eloquenter scribendo, quam a me expectarat. Nihilominus in futurum pro viribus enitar, ut huic suppeditem defectui, non solum æquitate ac integritate, vitæ & morum; sed etiam modico lumine; atque tenui cognitione mihi a Deo secundum ejus beneplacitum impertitis, quæ ut vestrorum Theologicæ & devotionis librorum lectione adaugeam, nullum non movere lapidem mens est, qui & Christianos orthodoxos in veritate religionis suæ confirmare, & eos, qui sunt erga Ecclesiam in ejus gremium adducere, quam sequendo hac in re Christi mandatum, mihi dicentis in persona Sancti Petri. Et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos [o].

Præterquam quod teneor meo facere proximo, quæ mihi ipsimet ut faciat, vellem [p]: hoc modo

n) 1 Tim. 5, 22. 1 Cor. 10, 12. 2 Cor. 8, 3.
o) Lucæ 22, 32. p) Matth. 7, 12.

modo ſpectans me cum fidelibus in cælo, cum Deo & Salvatore noſtro Ieſu Chriſto ſicuti etiam cum beatiſſima virgine omnibusque beatis Spiritibus aliquando regnaturum.

Quamvis ſub veſperam in vineam Domini venerim, in ipſius Eccleſiam intelligo, ſub finem vitæ meæ, vel ut rectius loquar: in ultimis vitæ annis. Nam Evangelio docemur in parabola Patrisfamilias, quos vocaverat operarios ſub veſperam in vineam ſuam eandem recepiſſe mercedem, quam operarii, qui ab ipſo in vineam matutinis horis vocati fuerant; quoniam bona voluntas pro effectu reputatur coram Deo, qui cor novit, & quem non magis latent futura quam præſentia: proindeque, norat vocatos ſub veſpertinis horis, ſi matutinis vocati fuisſent, ipſi ad veſperam ſerviiſſe æque ac ii, qui mane vocati fuerunt. Quapropter tantum iis dedit, quantum aliis; idque inſuper meritiſſimo, cum Deus ſuorum ſit Dominus bonorum, & conſequenter ea pro brevi non minus quam pro diuturno Servitio largire poſſit; præſertim cum nemini faciat injuriam, ut ipſemet ait in hac parabola. Matth. c. 20. v. 23. 6, 9. 10. 13. 15. Quæ cum ita ſint, opto, ut ſupremus Cæli & Terræ Dominus urbem Petropolin, in quam veni ad tam ſalutare, nobile & glorioſum Conſilium exequendum, Incolarum & Civium numero augeat, eosque honore, & divitiis & vitæ ſanctitate proſperet, magisque ac magis in ſuo ſervitio corrobo-

 ret.

ret. Placeat ipſi vaſtum hoc Imperium usque ad conſummationem ſæculorum terrenorum omnium florentiſſimum efficere. Faxit Cælum, ut Pax, Copia, & Virtus in eo regnent; Magiſtratus juſtitia & æquitate gubernent; Nobilitas fide & morum pietate eluceat, & pauperum publicorumque pauperum domum memoriam nulla unquam in eo debeat oblivio. Faxit, inquam, Cælum ut ingens illud & glorioſum imperium tantopere a Deo benedictum fidem orthodoxam usque ad remotiſſima terrarum orbis loca propaget. Religio Chriſtiana Græca a Deo per ſuam infinitam bonitatem in eo plantata, cum Turcicis oppreſſa armis ferme rueret, in orientali & meridionali religione divina ejus protectione, usque ad mundi finem in eo ſervetur; Lumen ſuum iis communicet, qui in tenebris vivunt, & Chriſtianas Eccleſias quæ ab eo receſſerunt, atque erraverunt, ad Chriſti gregem reducat. Faxit etiam Deus, ut ejus clerus vitæ Sanctitate, bonis exemplis, eruditione, atque ſcientia ſedentibus in umbra mortis oculos aperiant diſſipatis denſis infidelitatis & hereſis nubibus ac nebulis. Tandem Deus omnipotens, optimus, & maximus ſervare dignetur ſuam Imperatoriam Majeſtatem Magnæ Ruſſiæ totamque ejus Imperatoriam Familiam, nec non aulam; longum atque fauſtum concedat illi regnum; ſuas benedictiones pretioſiſſimas ſuper auguſtam ejus Perſonam, omnemque Imperialem Familiam effundat; eam ſubditis ama-

amabilem, hostibusque formidabilem efficiat; nunquam deficiat ei Succeſſor in ejus Illuſtriſſima Conſanguinitate ad regendum usque ad noviſſimum diem tam dilectum adeo Imperium, quod ſemper divinum ejus Servitium, ipſiusque Salvatoris noſtri doctrinam ſemel receptam in ſua puritate ſervavit; ac poſtremo ejus piam, ſemper auguſtam Excellentiſſimam atque potentiſſimam Majeſtatem bonis honoribus & gloria in hoc mundo cumulatam, Coronaque terreſtri & mortali indutam, in altero cæleſti & immortali coronet, ut regno æterno perfecteque beato in perpetuum fruatur.

Nunc vero, quantum ad Eminentiam veſtram ſeorſum ſpectat, optata illi omni proſperitate, tum ſpirituali, cum temporali, facultatem mihi des quæſo, digniſſime ac doctiſſime Archiepiſcope, me perpetuo quam humillime ac reverendiſſime dicendi.

Eminentiæ Veſtræ humillimum tibi devotiſſimum
ac obedientiſſimum
Die 8 *Ian.* 1734. *Servum*
MICHAELEM MALARDVM.

* *

ELEGIA
ILLVSTRISSIMI MYTROPOLITAE RAZANENSIS ET MVRAEMENSIS STEPHANI IAWORSKI ANTE MORTEM SVAM SVPER LIBROS BIBLIOTHECAE SVAE COMPOSITA.

Ite meis manibus geſtati ſæpe libelli,
  Ite meus ſplendor, luxque decusque meum.
Pergite felices, alias jam paſcite mentes
  Et nectar veſtrum fundite nunc aliis.
Heu mihi quod meus a vobis avulſus ocellus
  Non poterit mentem plus ſaturare meam.
Vos mihi dulcedo, vos mel, vos nectar eratis,
  Vobiscum libri vivere dulce fuit.
Vos mihi divitiæ, vos gloria magna fuiſtis,
  Vos paradiſus amor delitiæque meæ.
Vos illuſtraſtis, Vos nomina clara dediſtis;
  Per vos Magnatum conciliatus amor.
At nunc fata negant vobiſcum (proh dolor ingens)
  Ducere jucundos & ſine nube dies.
Iam mihi in æternam claudentur lumina noctem
  Non jam Vos manibus ſollicitabo meis.

Aeter-

Aeternus liber ante oculos proponitur alter,
Quem mihi venturus vult aperire Deus.
Omnis in hoc ſua dicta & facta volumine cernet,
Et capiet meritis præmia quisque ſuis.
O liber horrendus! qui nunc erit ante Tribunal
Nudatum faciens omnibus omne ſcelus.
Hunc ego mente librum dum volvo, mox tremor artus
Occupat, & cordi fixa ſagitta manet.
O Deus! o Pater! o ſummæ charitatis Abyſſus!
O Pietatis fons! o bonitatis Apex!
O maris & terræ & ſummi moderator Olymphi!
Qui manibus flectis fræna tumentis aquæ,
Stelliferosque Poli ſapienter dirigis orbes,
Te precor indignus vermis, inane nihil.
Reſpice & in libros vitæ mea nomina pinge
Sanguine Chriſti, qui vita ſalusque mea eſt.
Vos autem mea ſcripta domique librique valete
Parta labore meo Bibliotheca vale,
Terricolæque omnes, fratresque ſenesque valete,
Tu quoque cara Parens hoſpita terra vale,
Suſcipe maternis peto te complexibus artus
Namque animum cælis reddimus, oſſa tibi.

* *

POEMA
GRATIARVM ACTIONIS
MICHAELIS ANDREAD. MALARDI,
AD LAVDEM
SERENISSIMAE AVGVSTISSIMAE
ATQVE
POTENTISSIMAE IMPERATRICIS
TOTIVS RVSSIAE.
NOSTRAE DOMINAE CLEMEMTISSIMAE.

Huc hilaris venio, immo & toto pectore lætor
Iam satis officio Vestræ facturus & omni
Majestati, ingens decus, atque beata profecto
Sors etiam audacter solium pertingere Vestrum
Corpore prostratus; supplex licet advena tantum
Errantes inter majores ante minister,
Quem Deus in Vestras perclemens attulit oras.
Ut cum ejus servis ipsi servire valerem,
Ductus adimplevi posthac afflamine sancto:
Consecratus enim, dignatus & ipse Patrino
Matrinamque fui, lætus de more perenni.
Sic referens humili immortales pectore grates.
Nunc tibi demisso clemente juvamine servo,

Tum

Tum quia ſum in recta fide te mandante receptus
Ut me tutari, nec non ſuccurrere pergas,
Non ſolum externis, ſed mitis egentibus oro,
Talibus obſtrictus, mente, ultro ac voce precabor,
Ut Deus omnipotens tibi ſemper in omnibus adſit.
Cognatisque tuis, te etiam recteque valentem
Servet, & immenſos faciat regnare per annos
Felix, ſubjectisque tuis dilecta per ævum
Omni etiam ſemper metuaris ab hoſte triumphas
Affluat Imperium hac illac Heroibus ingens.
Tempore nec deſit fortis ſucceſſor in ullo.
Qui ſapiens illud regat tibi ſanguine junctus
Denique ſicut in hoc merces tua, gloria mundo,
Atque decus fuerunt, & ſumma cuncta corona
Ruthenos ſupra remanes ex ordine ſummi,
Numinis ob tantis fateor, numeroque carentes
Virtutes: etiam ſic te ut dignetur honore
Dulci & perpetuo, fama quoque fine carente
Induat inque ſuo immortali ſponte corona
Te Deus Imperio, tibi ſervus humillimus oro.

POE-

* *

POEMA MICHAELIS ANDREAD. MALARDI,

AD LAVDEM HONORATISSIMAE DOMINAE VXORIS, NOBILISSIMI DOMINI PETRI IOANNIDIS MOSCHKOWI.

Cur credis, celebris, clemens, & digna Matrina
Quod fuerim meriti non memor ipſe tui?
Ecce meum affectum purum, fictum inde putaſti;
Candidus ille fuit non ſimulatus amor.
Sic tuus error erat tollendus carmine noſtro,
Nec fallere meis hoſtibus æqua malis.
Ergo tuum jam jam tibi jus voto reddere lætus
Ne careat meritis laudibus hora tuis.
Certe pro meritis hoc digne abſolvere vellem.
Sed vis ingenio deficit arsque meo.
Attamen ut grato me habeas, virtutis amica
Effigiem tenuem jam mea penna dabit.
Nam cum tranſierit humanæ mentis habenas
Hæc ſatis, aut penitus, nemo referre poteſt.

Sic

Sic tua ſpero mihi facilis clementia parcet.
Quod tantum auſus ſim tangere præceps opus.
Tu pia viſa bonis, mihi dignata eſſe Matrina
Uſta ſiti vero ſponte placere Deo.
Conſenſit Conjunx, omni quoque dignus honore.
Vobis perpetuo, credite, gratus ero,
Quamobrem, ut veſtros omnes concorditer annos
Vivatis rutili; corde flagrante precor;
Et placeat ſemper natis ante omnia ſummo
Hic ſervire Deo; Gloria magna viro.
Ut felix toto, dictaque tempore vitæ
Progeniem quartam cernere læta queas.
Ut tandem in cœlo immortali cincta corona
Lætitia poſſis fine carente frui,
Innumeras mitto virtutes, utpote notas
Omnibus & ſatis eſt iſta referre mihi.
Ipſamet inſignis, tu ſponſa notabilis extas,
Quam Salomon tantis laudibus ipſe refert.
Quæ gemmis ut ait pluris facienda profecto
Et cui cor ſponſi fidere tuto poteſt.
Omne bonum faciens toto illi tempore vitæ
Quæ ſtruit, haud perdit: maxima Gaza Viro
Actibus ejus ineſt bonitas, ſapientia verbis
Et factis ſummi numinis altus amor
Ipſa es vis repetam mulier glorioſa relata
Terrarum ſemper nomen in orbe manet?
Quam magis in terris exaltem neſcio prorſus
Sat dixit Scriptor Regius ore ſuo
Summa fuit claris Dominis ſapientia multis,
Has omnes ſuperas, cara matrina mihi.

POE-

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

POEMA
MICHAELIS ANDREAD.
MALARDI,
AD LAVDEM
SVAE EXCELLENTIAE
ILLVSTRISSIMI DOMINI DVCIS
ATQVE
ORDINIS SANCTI ALEXANDRI,
ANDREAE IOANNIDIS
OVCHACOVI.
CVIVS SINGVLA CARMINA INCIPIVNT A SINGVLIS LITTERIS NOMINIS ET DIGNITATIS EIVS.

Ardens hic animo, Dux inclyte, care Patrine
Non unum, at multos tibi faustos deprecor annos.
Dulci etiam sponsæ, prolique tuæ insuper omni.
Res ut perpetuo, eveniat felicior oro.
Egregium sane fecisti æstate priori,
Acceptumque Deo clementi opus omne per ævum,
Statim Patrinus mihi tunc dignatus haberi.

Optima sed posthinc, imo & majora peracta
Urbi completis cunctis quæ digna Patrino
Cordis amor, pietas & zelus noscitur omnis:

Hinc

*H*inc quibus ars isti merito pro numine vero
*A*ffatim, quod cuncta tibi bona tradidit ultro
*C*hristus quæ Marthæ dixit, tibi dicere possum:
*O*ptima lecta tibi, tibi pars non tollitur unquam
*V*estris obsequiis datur a me gratia cunctis.
*U*tique mihi credas, nunquam ipse ingratus habebor
*S*ed potius meritum, probitatemque undique pandam.

*D*ux honorate mihi semper memoraberis a me
*U*ndique quando preces, pro more ad Sydera fundam
*X*ysticus ut zelo ac vera pietate refertus,

*P*ro libito exorans quod perficit omnia Numen
*R*espiciens altis ut te dignetur amare
*A*eternum tempus nec non benedicere semper.
*S*ic tibi, consortique tuæ, prolique venustæ,
*T*otus ut in terris licito cumulatus honore
*A*tque satur licitæ grata dulcedine vitæ
*N*obilis annosus vitæ potiare perennis
*T*antum hujus mundi lævis ejus imago voluptas,
*I*psius, an dicam, vix pulchritudo figura;
*S*ed ne multa loquar, tunc morte, malisque solutus
*S*emper ibi lætus bona possidet omnia justus
*I*n te uno tandem, quod mirum est, addita virtus,
*M*ucroni Bello justum, imo & pompa decoro,
*U*no sat verbo mihi vulgo dicere cunctas
*S*olum corporeas mentisque includere dotes
Te quibus, & magnus fit Dux, & belliger Heros.

EPISTO-

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

EPISTOLA KRESLINGII
AD ILLVSTRISSIMVM REVERENDISSIMVM RAPHAELEM ARCHIEPISCOPVM METROPOLITAM KIOVIENSEM, HALICENSEM, ET PARVAE RVSSIAE.

REVERENDISSIME ET EXCELLENTISSIME DOMINE ECCLESIAE ET ACADEMIAE KIOVIENSIS ARCHIEPISCOPE ET PRAESVL LONGE MERITISSIME.

Commune illud vinculum, quod eruditos in omnibus fere terrarum partibus latentes connectit, & singularis tua Reverendissime atque excelsissime Domine Praesul humanitas quam significavit frater, spem mihi faciunt certissimam fore, ut hoc litterarum commercium tibi haud ingratum sit. Et cur illud recusarem, cum ipse nullo cæco religionis zelo sis infectus, & religio nostra Evangelico-Lutherana vestræ in multis fidei capitibus respondeat. Verum est, adesse aliquod discrimen Ecclesiam inter Græcam & Latinam, sed nos media incedimus & tutissimi imus via, non ex asse mihi satisfecit

Leo

